Academiæ Cantabrigienſis

CARMINA,

QUIBUS

DECEDENTI

Auguſtiſſimo Regi

WILHELMO III.

PARENTAT;

ET

SUCCEDENTI

OPTIMIS AUSPICIIS

Sereniſſimæ Reginæ

ANNÆ

GRATULATUR.

CANTABRIGIÆ,
TYPIS ACADEMICIS.

Academiæ Cantabrigiensis

SERENISSIMÆ

AUGUSTÆ

REGINÆ

QUINTUS

PIA FELIX AUGUSTA

MVSEVM
BRITANNICVM

SUCCEDENTI

OPTIMIS AUSPICIIS

Serenissimæ Reginæ

ANNA

GRATULATUR.

CANTABRIGIÆ,

Typis Academicis

SERENISSIMÆ AUGUSTISSIMÆQUE REGINÆ.

ALTERA ſpes nuper Britonum, nunc ſola ſuperſtes
Quæ Regni poſſis ferre labantis onus,
Accipe ſupremos extincti Regis honores,
Quique velint luctus attenuare modos,
Grantæ dona tuæ; Quæ, ne neſcire putetur
Quantum Principibus debeat illa ſuis,
Manibus Auguſtis extrema hæc munera mittit,
Atque in defunctum ſe probat eſſe piam.
Accipe concipiunt quæ pro Te vota Camenæ,
Æmula pierii vota preceſque chori,
Queis ſtabile imperium, queis annos ordine læto
Plures ſoliciti poſcimus, ANNA, Tibi.
Rege carere illo, cui Leges, Templa, Salutem,
Et quod nunc Sceptris pareat Illa Tuis;
Rege carere illo, cui tantum libera debet
Anglia, materies juſta doloris erat.

A Noſtra

Noſtra loquor: caret hoc jam Vindice plurima Terra,
Cui non in curas Gens ſatis una fuit.
Numinis, ANNA, tui eſt noſtros relevare timores,
Triſtitiæque ſuum ponere poſſe modum.
At quid nunc illis animi? quæ dextera Belgas
Protegat, Auriaca deficiente Domo?
Quiſve pari Virtute Europam multa timentem
Eripiat, Galli ne juga victa ferat?
Te ſpectant, Regina. gravem cum Gentibus olim
Unius incuterent Regna ſuperba metum,
Graſſantem Terraque Marique hunc Femina demum
Contudit, & juſſit finibus ire ſuis.
Quæ Belgis noſtroque Orbi, Quæ vincla minantem
Europæ Hiſpanum fregit, ELIZA fuit.
En! Rerum par nunc Diſcrimen: Par tibi Virtus,
ANNA: fidem præſtent Omnia læta parem.

THO. RICHARDSON, S.T.P.
Coll. S. Petri Præf.
& Acad. Cantab. Procan.

Ad Reginam.

ANNA, Genus Regum; Quæ jam tibi debita dudum
Sceptra per innumeros miſſa tueris Avos;
Quæ ſola afflictæ ſuperes ſolatia Genti,
Defunctique Vices non Minor Ipſa geris;
Facta Pareris Patriæ luctus nunc mitte priores,
Et quos fecerunt Regia Fata metus.
Si Deus, eventura loquor, Tua Tempora ducet,
Si Tibi qui ſubeat, Filius alter erit,
Nil dolet aut optat Gens ultra: ſecla videbit
Laude priore frui, creſcere laude nova.

Joh. Churchill, Johannis Comitis de *Marlborough*
Filius Unicus, Coll. Regal.

LÆSA olim Pallas proſtravit fulmine Achivos,
Et Jove nata auſa eſt tela vibrare Jovis.
Fata manent, Lodoice, tuos quam triſtia Gallos,
Amoto Pallas dum Jove noſtra tonat.

Edw. Cecil, Filius natu minimus Joh. nuper
Comitis *Exonienſis*. Coll. Div. Joh.

OCCIDIS, o invicte Heros; & mota Ruinam
Ingentem ſentit Terra, timetque ſuam
Ante ſepulcrales jacet Orbis ſquallidus Aras,
Dilecto Cineri Dona ſuprema ferens.
En, quam dejecta incedit *Germania* Fronte!
Ut languet circum tempora Palma recens!
Demiſſis juxta pennis en *Regius Ales*,
Fulmen qui cedat, queſtus, abeſſe *Jovem*.
Ipſa pios ſequitur miſcens *Hiſpania* fletus;
Quam vellet Dominos ſic periiſſe ſuos!
Belgia mox prodit, tardoque *Britannia* greſſu,
Nunc male cum triſti juncta ſorore ſoror;
Utraque certa mori, dulces imitantur Olores,
Exequiaſque canunt CÆSARIS atque ſuas.
ANNA jubet, Vivant; iterum jubet eſſe Beatas,
Et Fato ſimilis, quod jubet, Ipſa facit.

Gul. Leman, Baronettus, Coll. Trin.

In mortem Regis.

TALIS erat, quum jam victo, Tirynthius, orbe,
Vulnere furtivo, cæco succumberet igni.
Obstupuit primo tanto vix credula monstro
Græcia: mox, simul ac flammas suspexit ovantes,
Flevit, supremum Domini indignata *laborem*.

Ad Reginam.

TALEM Sceptra sibi voluere Britannica; talem
Heredem Auriacus voluit; talem esse decebat.
Nempe alii ingentis nocuisset Fama WILHELMI,
Non nocet hæc, Regina, tibi; vacat en Tibi magnus
Virtutique locus; non Te dedit, ANNA, minorem
Maximus ille licet, cœptisve ingentibus obstat.
Tu stellam, Regina, tuam (quæ nuper ab alto,
Multo clara die insolitos tibi fudit honores)
Mox imitata, tui vicina, sed æmula, Phœbi,
Luctantem expedies pulchro certamine lucem,
Nec victam adversi lædet Præsentia Solis.

Hewytt Aucher, Baronettus,
Coll. Div. Johan. Evang.

QUÆ nova festa dies? Subiti quæ causa triumphi?
Unde hominum tam turba frequens? Quæ jubila? Læto
Urbs resonat plausu, clamorque advolvitur astris.
Passibus en rapidis concurrunt undique cives,
Funditur in plateas etiam studiosa juventus.
En iterum ingeminat clamor——
An bene conveniunt nostris hæc gaudia Rebus?
Gallus at infestus verborum fulmina jactat,
Intentatque minas, incendia, vincula, cædes;
Promptus & ad pugnam nostris pene imminet oris
Hispanis opibus dives, sceptroque superbus.
Gallorum terror, Tuus, o Brittannia, Vindex
WILLHELMUS vixit, fatis abreptus iniquis.
Quin procul, o miseri, procul importuna facessant
Gaudia, & in meritos planctus vox exeat omnis.

Fallor?

Fallor? an Auguſtæ nomen mihi verberat aures
ANNÆ? ANNAM clamant, ineuntem regna ſalutant
ANNAM, cui multos annos, multumque beatos
Optant; lætitiæ nec tantæ juſtior ulla
Cauſa dari potuit. Quid non ſperare licebit?
Occupat imperium, ſolumque capeſſit avitum
Chara Deo Princeps, & in hunc, quod credere fas eſt,
Aſſervata diem; poſt funera tanta ſuorum,
Unius ut poſſit virtus reparare ruinas
Multorum Heroum, nec non abſolvere cœlum.
Hoc erit: en votis clemens Deus annuit æquis.
Sic de WILHELMO minus accuſabimus aſtra,
De Duce Glôſtrenſi taciti, raptaque MARIA.
Nos tua defendent, Regina, potentior armis
Prudens ſimplicitas, virtus invicta, nec unquam
Irrita vota, piæ quæ ſacras fundis ad aras.
Hiſpanus ſenſit dudum quid Femina poſſet;
Sentiet hoc itidem Gallus; ſuccumbet utérque
Auſpiciis veſtris, & erit Dux Femina facti.

Hamf. Gower, S. T. Profeſſ. Marg.
Coll. Div. Johan. Magiſt.

EXSTITIT haud unquam veterum Vox verior Iſtæc,
Anglorum Regem non potuiſſe mori;
Mitius Auguſtum votis *Heroa* requirent,
Heroina locum dum Gemmula tenet;
Numine namque pari noſtræ Res uſque recurrunt;
Accito ad Superos *Marte*, *Minerva* venit.
Mutatur ſexus, ſed reſtat maſcula Virtus,
Nec minor intrepidi pectoris ardor adeſt;
Sacra manent Templis eadem, ſtabilitur iiſdem
Legibus Imperium, Federa Conſiliis;
Majeſtas & Amor patriæ ſociantur, & ipſis
Semper ineſt dictis intemerata Fides.
Tam ſacro quid non audent pia pectora juſſu?
Et tantis quid non auxiliis faciunt?
Suaſu Femineo quantum incaluere Britanni,
Splendida *Bundvicæ* prædicat hiſtoria.
Auſpiciis, ELIZA, Tuis terraque mariquè
Europæ Dominis Anglia jura dabat.

Gallo

Gallo non licuit vel vela movere vel arma,
Nedum veſanis imperitare modis;
Claſſis *Ibera* perit, vix navis ab ignibus una
Soſpes, ſemiuſtos devorat unda viros;
Relligione gravi, diræque Tyrannidis ira
Oppreſſos Batavos ſervat amica manus;
Nil valet inferni rabies, nec fulmina *Sixti.*
Cur non, quæ *Virgo* præſtitit, ANNA poteſt?
Gens eadem, idem animus; ſociis utamur iiſdem,
Salva domi Res eſt publica, ſalva foris.

Joannes Covel, S. T. P. Coll. Chriſti Cuſtos.

QUIS tandem dabitur finis, quæ meta doloris?
Hydra quid hæc luctus prodigioſa velit?
Credidimus triplici Regnum bene fidere nodo;
Jam Ducis Æmathii fama tacebit opus:
Gentes Ille domans nexum mucrone reſolvit,
Fulcra ſed Imperii mors tria fila ſecat.
Flevimus avulſæ funus crudele MARIÆ;
Flevimus & ſortem, dulcis Iule, tuam.
Quin redit infandus miſerum dolor actus in orbem,
Et lacerat ſacras ANNA relicta comas.
Traxerat in decimum qui prœlia fervidus annum,
Raptus ab infauſto cum jacet Hector equo;
Ne nova Troja cadat formidant jure Britanni,
Ni rurſus Trojæ fiat amica Venus.
Vicit conſiliis acer GULIELMUS & armis,
Exanimem triſti carmine Muſa colit:
Succumbit fatis expertus utramque Minervam,
Qua modo partus erat, qua celebratur honos.

V. Stubbe, S. T. P. Coll. Trin. Soc.

QUI

Si vel adhuc, Cæſar, te tangant vota tuorum,
(O ſemper dubio tempore certa ſalus)
Regna relicta fove tua non minus, & rege noſtras
Numine, quas nuper dextra regebat opes.
Et ſuperadde tuos annos, mentemque Sorori,
Auſpiciiſque ſuis, regnet & illa tuis.
Auſpiciis, queis Nemo prius; dum maximus Heros
Succurrit patriæ, nec minor ANNA tuæ.
Sic iterum poteris mœſtos relevare Britannos,
Conſona erunt vitæ ſic tua fata tuæ.
Funera ſic Lodoix prius exoptata dolebit,
Dum queis ſperavit poſſe nocere, timet.
Anglia nam creſcens, & adacto fortior ictu
Jam fruitur damnis, & moriendo viget.

Hen. James, S. Th. Profeſſor Regius,
& Coll. Regin. Præſidens.

QUI fuit invictus bello, qui pace ſerenus,
Anglia quem coluit: qui fuit orbis amor,
Ingenio facili, divino pectore dives;
Qui fuit, & vere vixit imago Dei,
Stemmate Rex magnus, major pietate; refulgens,
Artibus; & noſtro ſola ſub axe ſalus;
Qui facile vitium, facileque ſubegerat hoſtes,
Victus morte, jacet pulvis & umbra levis.
Et niſi luce nova radians fuget ANNA dolores,
Florida lætitiæ ſpes redeuntis abit.
At ſperamus adhuc, illa regnante, triumphos,
Quam virtus ornat, mens pia, vera fides.
Salve igitur Regina: tuam tibi ſume Coronam,
Vive diuque, Anglis gloria ſumma tuis.
Surgat, amore tuo, ſublimi culmine Virtus,
Sis Domina indignis, & Dea vera piis.
Candida lux mundi, regnique columna Britanni.
Chara Deo: populi deliciæque tui.
Sis ſine labe Venus, fuſo ſine ſanguine Victrix.
Pallas in arte vigens, corde columba tuo.
Erige depreſſos, & ſis pia mater egenis,
Ara precum, timidis portus, ubique ſalus.

Mellea Suada probis: in ſolos verte furoris
Fulmina, qui ſpumas in tua ſceptra vomant.
Et tua de cœlo cum ſit delapſa poteſtas,
Affer opem miſeris: nomen ut ANNA docet.
Omnibus ut vigeat doctrinæ ſplendor in oris,
Cura ſit: & ſolito creſcat honore fides.
Hoſtibus ut victis, Eccleſia noſtra triumphet,
Et cadat ante tuos Roma ſuperba pedes.
Tum, licet illuſtrem GULIELMUM fata tulerunt,
Irradiet terras lumine læta dies.
Et quamvis poterit Bellona tonare per orbem,
Luceat internæ pacis amœna quies.

Tho. Thurlin, S. T. P. Coll. Div. Joh. Præſ.

HEU! quam funeribus denſentur funera, duri
Heu! quantum fati ſuſtinet una Domus;
Quæ, ſi quid populi pia vota preceſque valerent,
Senſiſſet ſævæ ſpicula nulla Deæ.
Vidimus ereptæ mœrentem fata MARIÆ,
Unica mox tumulus pignora Matris habet,
Vix Puero poſito tumuli bene janua clauſa eſt,
Erepti Regis tertia fata dolet.
Quo perget Dea ſæva? his cladem cladibus addat
Porro unam, non quo progrediatur, erit.
Incolumen, Regina, diu Te Numina ſervent,
Si penſare Anglis damna priora velint!
WILLHELMO Tu ſola levas moriente timores,
Quos tanti excierat nuncia Fama mali.
Aſpicis, ut rerum ſubito ceſſere tenebræ,
Nec lucem triſtes ſuſtinuere Tuam?
Aſpicis, ut luctus Gens pene oblita prioris,
Tradita gratatur ſceptra Britanna Tibi?
Verba, quibus Procerum poſt Regia fata coronam,
Verba, quibus mentes attonitas Populi
Erigis, infelix dum mille pericula fingit,
Jamque extrema putat ſe quoque fata pati,
Hæc animos iterum reddunt, hæc certa ſalutis
Pignora ſolicitos plura dolere vetant.
Vindice nil rapto metuet, Te regna tenente,
Relligio, ſumma quam colis Ipſa fide.

Non

Non populum, ne qua convellas publica Jura,
In Patriam Pietas nota tumere ſinet.
Omnia læta tuis felicia tempora ſpondent;
Quique nocere velit, gaudia vana fovet.
Non mala jam miſeros lædet Diſcordia cives,
Quæ toties noſtris rebus iniqua fuit:
Omnibus unus erit ſed amor, timor omnibus unus;
Noſque foris Lodoix uniet, ANNA domi.

Car. Roderick, S. T. P.
Coll. Regal. Præpoſitus.

JAM ſæpe effuſos ſolvens *Brittannia* crines,
In Luctus abiit irrequieta novos.
Et quanquam his aſſueta malis, pia funere REGIS
Fortior haud didicit cladibus eſſe ſuis.
At Vos, o Muſæ, noſtram quum Fata MARIAM,
Spem populi tenerum quum rapuere DUCEM,
Solatæ afflictas Gentes, monuiſtis inire
Secla nova, & faciles ducere fila Deas;
Et ſpolia, & magnos *Magnum* ſperare Triumphos,
Ornatura Sacrum & Laurea ſerta Caput.
En ſacro Capiti pro Lauro incincta Cupreſſus!
Pro curru Feretrum frigida membra levat!

Divæ vera monent: Duces, WILLHELME, Triumphos,
Et poſt Fata Tuas ſentiet hoſtis opes.
Quos Tu junxiſti concordes fœdere certo,
Imperio haud impar Continet ANNA ſuo.
WILLHELMI *Illa* premit *Magni* veſtigia, & uſque
Fida tenet pulchram, quam dedit *Ille*, viam.
Agnoſcet *Lodoix* victus, diſpenſet iniqua
Quam temere infidus non ſua regna manu.

Tho. Greene, S. T. P. Coll. Corp. Chriſti Magiſt.

Εἰς τὴν ΙΛΕΡΜΟΥ τῦ Ἀοίδου.
Βασιλέως παυδάκρυτον τελευτήν.

Ἀΐζω τὸν Ἱλερμόν· ἀπώλετο δῖος Ἱλερμὸς,
Ὤλετο δῖος Ἱλερμὸς, ἐπαιάζουσι Βρεττανοὶ
Πάντες ἀκηχέμενοι μεγάλῳ σὺν πένθει θυμὸν,
Ἄλγος ἄλασον ἐνὶ στέρνοισιν ἑοῖσιν ἔχοντες.
Ἡμετέρην πότμον λυγρὸν σοναχῶμεν Ἄρηος,
Ὤ, ἀλλὰ καὶ γαίῃ πολεμήια ἔργα μέμηλε,
Ὤ ἀδάμαντος ἐνὶ φρεσὶν ἄατος ἔπλετο θυμὸς,
Μὴ τρομέων κίνδυνον ἐειγδούπου θαλάσσης.
Μυρία δυσμενέεσσιν ὅ γ' ἐχθρηῖς ἄλγε' ἔθηκε,
Πολλὰς καὶ Κελτῶν ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψε,
Ἄτρομος ἀργαλέοις ἐνὶ δείμασιν εἵνεκα γαίης
Ἀγλιαχῆς. Ὃν πάντες ὁμῶς νεοὶ ἠδὲ παλαιοὶ,
Ἄρσενες ἠτὲ γυναῖκες, ὁμῦ ἄφατόν τε φατόν τε
Κλείουσι, συνόενθα μόρον καὶ αἰνὸν ὄλεθρον
Θρηνοῦντες, τόσσος καὶ δὴ μεγαλήτορος ἀνδρός.
Οὐ γὰρ δὴ Βελόνεσσι κακώτερον ἄλγος ἔπεισιν,
Ὅταν μιν θανάτοιο μέλαν νέφος ἀμφεκάλυψε.
Ἀλλὰ Διὸς μεγάλου ὕτως ἐτελείετο βουλή.
Οὕτως μοῖ φοίτιζεν ἐς ὄρανὸν ἀστερόεντα
Ἠΰς τε κραιπνός τε, καὶ Ἡρώων μέγ' ἄριστος.
Ὤ, χαλεπὸν καρτερόθυμος Ἄναξ, πολύμηλις Ἱλερμὸς,
Ὃς κλυτὸς ὄνομ' ἔην, Σκηπτόχων ἔξοχος ἄλλων.
Οὗ ὅτε λείπε φάος ψυχὴ δῖ' ἠελίοιο,
Αἶψ' ἡμῖν ζοφεραὶς ὀδύνας κάλλειπε μέλαινας.

Πρὸς ΑΝΝΗΝ τὴν ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΝ.

Ἀλλά τε φῶς λαμπρὸν νεῦ Εὔχαρις ΑΝΝΑ ὀπάζει
Δῖα γυνὴ, ἥ πρὸς Βασιλήϊον αἷμα λαχοῦσα,
Θεσπέσιον γένος ἐστὶ διοτρεφέων Βασιλήων,
Πασάων προὶ πολλὸν ἀριστεύουσα γυναικῶν.
Ἱμερόεσσα πέλεις (θεὴ ἰότητι καὶ αἴσῃ)
Ἀγλιγενῶν Βασίλισσα, φίλη καὶ πᾶσι ποθεινὴ,
Πειθομένων λαῶν αἰεὶ ἐπαρωγὸς ἐοῦσα,
Εὐσεβέος μᾶλλον Κλήρου σπέρμα κεκλημένον,

Παλαι-

Παλείδα ϗ, ϖεὶ γαῖαν ἐϋφρονα θυμὸν ἔχουσα,
Ἄγλοις δὐμενέουσα σεοῖς γήθονὶ ϖροσώπῳ,
Παρθένῳ εἰσαμβήτε φυὴν καὶ εἶδος Ἐλίζῃ,
Ἥς ϖρὸ Βρεττανοῖς φανερὸν κλέος ὄπποτ' ὀλεῖται·
Τοίην μὲν Σὲ Ἄνασσαν ἐπ' Ἀγλιηΐδεσσ' ἀξαίμην.
Σοὶ ἄφενος Παντοκρατὼρ ἀφάτως πάντ' ὄλβια δοίη,
Πᾶσαν χρημοσύνην, φιλότητά τε μειλιχίην τε,
Καὶ δὐδαιμονίης γλυκερῆς ϖερικαλλέα δῶρα,
Δηρὸν ἐὐζώειν ϗ ὁρᾶν φάος ἠελίοιο,
Ὄψιμον εἰς μακάρων ἕδος αἰπὺν Ὄλυμπον ἱκάνειν,
Πᾶσιν ἑοῖς Ἄγλοισι τεθμῇ ἀνθρώποισι,
Τούτοις νεῦ παρεῦσι, καὶ ἀνδράσιν ἐσομβίοισι.
Αὗται Μουσάων δύχαὶ, Πολυπότνια ΑΝΝΑ,
Πασῶν βέλτίστα τε γυναικῶν θηλυτεράων.

ΕΠΙΤΑΦΙΟΝ εἰς ΙΛΕΡΜΟΝ τὸν Βασιλέα.

Ἄγλαὸς ἰσόθεον κρύπτει τάφος ὅτος Ἱλερμὸν,
Ὦ Κάρ ϗ ὁμῶς Μῆτιν ὄπασε Θεός.
Ἰσχὺς γὰρ μεγάλη τε βίη βυλῆσιν ἔμιχθεν,
Θάρσος σωφροσύνη καὶ πινυτοῖσι νόοις.
Ἐνθάδ' Ἀρηϊφίλων κεῖται ϖροφερέσαι ἀνδρῶν,
Θεσπέσιος νίκης δὐπολέμοιο παλήξ.
Κελτίδος ὃς γαίη Φειστὸς ϗ Δεινὸς ἐφάνθη,
Τῷ τε Λοδοΐκῳ Παυφοβερὸς γένετο.
Ὃς Βέλγοισιν ἐνὶ πτολέμοισιν Ὀνειαρ ἐτύχθη,
Τῶν ϗ Γερμανῶν ἔρκος ἀρειμανέων.
Τοῖς δὲ μάλις' Ἄγλοις Σωτὴρ, Ἐπίκουρος, Ἀμύντωρ,
Παλείδος ἠμελέης καὶ Μέγα Κάρος ἔην.
Ἔξοχον ἧς ψυχὴν ζαθέην τ' εἰς δώματ' Ὀλύμπου
Εἵλε Θεὸς, τιμῆς ἔμμορεν αἰὶ δίης.
Σῶμ' ὅδε τύμβος ἔχει θεοειδὲς Νεκρὸν Ἱλερμοῦ,
Οὐρανόθι ζωὸν Πνεῦμα λέλογχε γέρως.

GULIELMO *Regi Sacrum.*

GRASSARI Lethum, *Parcas* dominarier Aulæ,
Parcere Principibus nec mala Fata vide.
Sæviit in Caram primo Libitina MARIAM,
WILLHELMI Conjux quæ Generoſa fuit.
Inde, *Gloceſtrenſis* fato *Dux* ceſſit amaro,
Magna *Stuartiadum* ſpeſque decuſque domus.
Quod mage ferale eſt, Mors debacchatur in ipſum
WILLHELMUM, Angligenis eripit atque ſuis.
Eheu! quot Reges tumulo conduntur in iſto?
Quot capit Heroas nobilis urna Tua?
Hic ſitus Atrides, Victor Pellæus, Achilles:
Et MAGNUM buſto clauditur omne Tuo.
Eheu! *Celtarum* Terrorem, Spemque *Batavûm*,
Tutelam *Britonum* ſuſtulit una dies.

ANNÆ *Reginæ Sacrum.*

SED triſtes Elegi valeant, valeantque Querelæ,
Duni ſpecto vultus, Dîa Virago, Tuos;
Gloria quæ Sexus, Patriæ Columenque vocaris;
Præſidium populi Deliciæque Tui.
Regali digna es ſolio, Sceptroque *Britanno*,
Nec *Salica* Imperium *Lex* vetat ulla Tuum.
Gallia ſi renuat, Regina Piiſſima, vires
Femineas *Lodoix* ſentiat opto Tuas.
Angliacas ſemper creſcat Tibi fama per oras,
Felici teneas Regia Sceptra manu.
Det Deus ut Divæ felicia tempora ELIZÆ
Auſpiciis redeant, ANNA Serena, Tuis.
Sub Te floreſcant *Proceres*, fiduſque *Senatus*,
Morigerans *Populus*, ſit precor *Aula* proba.
Anglica præcipue exoptat Te *Eccleſia* Matrem,
Ut ſic longævos dent Tibi fata dies.
Denique, *Grantanæ* ſpes ſis fidiſſima gentis,
Quæ nunc ad Veſtros volvitur ima pedes.

Johan. Edwards, S. T. P.
è Coll. D. Johan.

Ad

Ad Reginam.

ANNA, per Angliacas quæ nunc feliciter oras
Jure regis populos, flectis amore tuos;
Quæ ſexu tantum Heroi, haud virtutibus impar
Succedis, patrii ſpes columenque ſoli:
Ecce tuæ Muſæ tecum ſuſpiria miſcent,
Amiſſique ducis funera acerba dolent:
Ingeminant Leſſus, cantantque inamabile carmen,
Et damna, heu! lachrymis, vix reparanda, levant.
Sed Tu, Tu reparas — cum Te, Regina, ſalutant,
Conſpectuque Tui ſe recreare licet.
Tunc ſubeunt animi dotes, & pectus honeſto
Incoctum, & ſanctæ Relligionis amor:
Et nivei mores, & non violabile pignus
Promiſſi, & cordis non temeranda fides.
Grata hæc dum recolunt, ſubrepunt gaudia Muſis,
Gaudia feſtivis concelebranda modis;
Quæ tamen ipſa Deo ſacrant: ſub principe tali
Scilicet & Muſas condecet eſſe pias;
Et ſane dignas certant perſolvere grates:
Atque Aris pro Te Thurea dona ferunt.
Sic Tibi, ſic populo, perfectis ordine votis,
Haud dubitant lætos concinuiſſe dies:
Nempe pias Muſas motus divinior inflat,
Et dedit obſcuras fati aperire vices:
" Hem! nondum partos quot prævidere triumphos
" De te, feminea Galle domande manu?
" Multa reluctantem tua Te fortuna reſervat,
" Ut fragiles Lauros detrahat ANNA tibi.
" Sic poteris victus memorandum condere nomen,
" Captivus, jactans, ſum tamen, ANNA, tuus:
" Sic nunquam Faſtis, Lodoice, tacebere noſtris,
" Quamque meres famam pagina grata dabit.
" Tum poſt has palmas, confectaque munia belli
" Felicis Victrix otia pacis aget.
" ANNA diu gentis decus & tutela Britannæ
" Florebit, ſociis præſidiumque ſuis.
" Has inter laudes ſecurum tranſiget ævum,
" Sorte nec optarit proſperiore frui.
" Quanquam o ſi hanc tandem, ſi nos quoque prole beatos
" Conſimili faxit, perpetuetque Deus!

Car. Aſhton, Coll. Jeſ. Cuſtos.

AN-

ANGLIA jam ſtabas, poteras jam Tuta videri,
Federe Riſwici pacto, cum ſævior armis
Ira Ducum cecidit, jam longum ſanguine tanto
Carpere quæſitos jactabas pacis Honores:
Omnia contigerant GULIELMO ſoſpite Fauſta;
Quem tot Bella Tuis, ſtrages, miſtæque phalanges,
Inque Humero diræ Bombardæ vulnus adactum,
Tot mortes intentatæ pretioque paratæ
Immunem Lethi toties miſere Britannis.
Non tum rupturum metuebas federa Gallum,
Dantemque Ignoto Titulos & ſceptra Britanna,
Viribus Hiſpanumve agitantem prœlia junctis.
Salvus adhuc GULIELMUS erat, ſpes certa ſalutis,
Obvius ire parat, tantis par ipſe periclis,
Armato ſolitus diſrumpere milite Pugnam.
Anglia nunc metuis, poterit quid Gallia ductis
Ad Moſam turmis? referent quid prœlia Rheni?
Bella quid Italiæ? Libertas publica ſtabit,
An dabit Europæ Lodoici Gallia nutu
Borbonios Reges? propriis an Legibus uti,
An ſervire datum eſt? Hæc Anglia federe rupto
Hæc ventura times; venia eſt ſed danda pavori,
WILLHELMO moriente times. O! ſi abfuit unum
Heroas potuiſſe mori; nec fata, nec ulla
Vis morbi auferret; ſed longo temporis orbe
Exacto, recta conſcenderet æthera Virtus.
Sed duræ Fatorum urgent mortalia leges:
Morbi heu! præda jaces communis, Maxime Regum.
Alma parens noſtri miſerans Natura, fluentes
Indulſit lacrymas oculis, & mollia corda
Intulit, ut magnum ſit fas lenire dolorem;
Fundimur in lacrymas mœſti, noctemque diemque
Flemus, & aſſiduo pulſamus ſidera planctu.
Dulce tuum adventum, & caſus, GULIELME, referre;
Mille pericla mari terraque, & fortia facta;
Defenſas Leges, libertatemque; Coronam
Impoſitam capiti digno, ſuaviſque MARIÆ
(Eheu præreptæ!) pugnataque prœlia Boini;
Expulſos Gallos; claſſemque in litore aduſtam;
Oppreſſam pene Europam, & Luctantia Fata
Regali ſuffulta manu; Gallumque ſuperbum

Ad

Ad tua ſubmiſſum, orantemque Palatia pacem.
O Te infelici ſublatum tempore! Belli
Ductorem amiſſum! violati fœderis acrem
Ultorem ex oculis crudeli funere raptum.
At ſemper vives animis & pectore noſtro.
Mille modis triſtes conamur fallere Curas,
Fletibus & queſtu, dulci & ſermone loquentes:
At fruſtra miſeros tentat Natura levare,
Altius infixi remanent in corde dolores.

Ad Reginam.

TU Regina potes noſtras, Tu ſola querelas
Tollere, Te læti ſpectamus ſceptra tenentem.
Macte *Stuartorum* ſanguis; nunc ultima proles,
Felix ANNA Tuæ redime infortunia gentis,
Redde Anglis famam & redivivum ſtirpis amorem.
Quam bene ducuntur cœpti primordia Regni!
Relligionis Amor poſuit fundamina prima:
Laudaſti legem quæ ſceptris arcet avitis
Cæca ſuperſtitio quos falſis tradidit aris;
Anglica ſplendeſcet jam vero Eccleſia cultu.
Proximus urget Amor Patriæ, Tutelaque Gentis.
Fœdera firmaſti, quæ Rex GULIELMUS inivit:
Stat Libertatem Europæ, & Socia arma tueri,
Ponere Gallo obicem; atque viam dum affectat ad Orbis
Imperium, magnis occludere claſſibus æquor.
Auxiliatricem Belgis Regina *Britanna*
Das iterum dextram; non fruſtra Belga repoſcis:
Germanuſque Tuam Regnis ſpoliatus avitis
Poſcit opem; dabitur, dixit Regina, petenti.
Sic æqua Europæ libratur lance poteſtas.
Auſpiciis Regina intras felicibus ANNA,
Det majora Deus; nec Te prius ille benignus
Imperio abſolvat, duplici quam ſanguine Regum
Natus WALLIACUS Princeps compleverit annos
Maturos, ſceptris poſt ſucceſſurus Avorum.

Geo. Oxenden, LL. D. Magiſt. Aul.
Trin. Reg. in Jur. Civili Profeſſ.

Ἀμφὶ τ᾽ ἀείσης βασιλίσσης ΑΝΝΗΣ τ᾽ Στευαρτιάδῳ εἰς θρόνον πατρῶον ἀνενεχθείσης.

Πολλάκ᾽ ἐμοὶ καλενώθη ὑπὲρ Στευαρτίδῳ ΑΝΝΗΣ,
Ἰωνῆς Καρόλῳ Θεομάρλυϊ ἡρωΐνης,
Ἔξοχα δ᾽ αὖ Μαρίης γοερὴν μετὰ πότμον ἀδελφεῆς,
Τοῦτό γ᾽ ἐμοὶ καλενώθη ἐνὶ φρεσὶ πολλὸν ἐμῆσιν
Εἵπολε δία γυνὴ, βασιλήϊον αἷμα λαχοῦσα
Ἐκ παλέρων, ἀρετῇσι κεκασμένη ἠρανίησιν,
Εὐσεβίῃ, Πινυτῇ τε, καὶ Ἀτρεκίῃ ἐραλεινῇ,
Εἴδεί τε, γλυκερῆς ὃ Τυρραννίδῳ ἄξιόν ἐστι,
Μορφῇ δ᾽ αὖ πάσῃσι μελέπρεπε θηλυτέρῃσιν,
Εἵπολε Δεσποσύνης ἐς ἀνακτορέης θρόνον ἔλθοι.
Τίπλε γὰρ Ἠελίῳ τόσσον φάος ἠρανοδείκελον
Ἀμφεχύθη θεόφιν ὀφρὰ Τέκλονος ἀθανάτοιο,
Εἰ μὴ ὅλα Κόσμα ὑπὲρ ἄντυγας ὥστε φαεινοὶ
Ἀενάῳ φωσῆρι καθημερινοῖο προσώπου;
Καὶ τί ποτ᾽ Ὠκεανῷ τόσσον μένος ὑγρὸν ἀναλὶ
Παντοίων ὑδάτων ἀρρὺν κατὰ κόλπον ἰόντων,
Εἰ μὴ ὅλης Γαίης περιφερῆς ἵνα κύκλον ἰαίνοι
Κρήνας, καὶ ποταμοῖς, καὶ φρείασιν, ἠδὲ θαλάσσῃ;
Τίπλε τόσας δ᾽ ἀρετὰς, τοῖον δέμας, εἶδος ἀγητὸν,
ΑΝΝΗ δία λέλογχε, θεῶν ἄπο ἔργα μαθοῦσα,
Πέπυσταί τε νόον, μακάρων δ᾽ ἔξεστι τοκήων,
Εἰ μὴ σκήπτρῳ ἄρηρε Βρεττανικῷ, ὀψέ πῃ ἔμπης;
Ἡμῖν ὡς μετὰ πᾶσι φίλης μέγας αὐτὸς Ἀνάσσης
Κόσμῳ ἐπαυρήσῃ, Χριστῷ θ᾽ ἅμα λαὸς ἀπείρων.
Ὑψιμέδοντι θεῷ, πανυπερτάτῳ ἠρανίωνι
Ἀγλιαδέων αἰεὶ μέλεται· Θεὸς εἶσαν ἄνακτος
Ἀγλιάδαι τὸ μέλημα τὸ τερπνόταται, φερὶ πάντων
Τῆς ὐρυσέρνοιο ὅλης Χθονὸς ἐναλίῃσιν.
Νῆσος δ᾽ ἡμετέρη, φερεώσιος αἶα Βρεττανῶν,
Ὑψιμέδοντι Θεῷ πλεῖσον φερὶ κῆρι μέμηλε
Γαιάων πασέων τε, ἰδὲ Νήσων ἐραλεινῶν,
Αἵ θ᾽ ἁλὶ κεκλίαται ἢ ἅμ᾽ ὕδασιν ἐσεφάνωνται.
Ἐνθάδε γὰρ τοπάτων ἐτείλατο παμφαὲς αὐγὴν
Εὐσεβίης ὁσίης τε, καὶ ἀνθπάποιο Καθαρμοῦ·

Ἐνθάδε

Ἐνθάδε καὶ Σοφίης ἱερῆς ἀνεδείξαθο μορφὴν
Τῆς Εὐαγγελικῆς, οἵην Χριστοῖο μαθηταὶ
Οὐρανόθεν διέφαινον, ἀνὰ χθόνα πᾶσαν ἰδέαις,
Ἀμβροσίην, καθαρήν τε καὶ ἄπιλον, ἱμερόεσσαν.
Νῦν δ' αὖ Δέσποιναν σεφανοῖ βασιληΐδι τιμῇ,
Νημερτέα, Παπολιγὸν, ἀείφρονα, πασιμέλουσαν·
Ἣ χρόνον ἀγκαλέσαθο ἀνάσσης Ἠλισαβήθης,
Τὸν χρόνον, ἡδύτερον Κερνίης Χρυσέης τε Γενέθλης.
Ἀλλ' ἡ μετέρη πολυφερτέρη ἐστὶν ἐκείνης·
Οὐ γὰρ ἄπαις αὐτήγε ἐοφείλεθο παρθένος εἶναι,
Ἀλλ' ὑὸ Δανείοιο Γερμανικοῦ ἀνθρώποιο
Ἀμφαγαπαζομένη ἱερὸν λέχος εἰσανέβαινεν.
Ὅς, μὴ ἐὼν βασιλεύς, βασιληΐῳ ἀνδρὶ ἐοικὼς,
Καὶ παλεὸς ἐὼν βασιλῆος ἔφυ, βασιληάτ' ἀδελφεὸν
Οἶδε, καὶ ἡμονόν· Βασιληΐα δ' ἤγαγε τέκνα
Πολλά· τὰ μὲν θεοφάνοθο, τὰ δ' εἰσέτι νῦν θεοφόωσδε
Αὖθις ἐλεύσονται, κόλπου ἄπο θεσπεσίοιο
ΑΝΝΗΣ ἱμερτῆς παναγαπλειῆς βασιλείης.

Josua Barnes, S. T. B.
Græcæ Linguæ Regius Professor.

EUROPÆ O Vindex, Bella inter, ut ante, futurus
Tutior, occumbis dum nova Bella paras.
Fœdera nunc lacrymis Batavus Tua firmat, & Anglus,
Ille Ducem, hic Regem deflet, uterque Patrem.
Protegis Imberbis Batavos, Maturior Anglos;
Quam similes fuerant hic Vir, & ille Puer?
Imperium Bellis alius petit, & sibi Palmam;
Publica Libertas Marte petita Tuo est.
Cum Tellus Hispana tulit Geryona, monstri
Victorem Alciden Fata dedere simul:
Instat nunc Lodoix, triplicis Geryonis instar
Affectans Regnis addere Regna suis;
At vetat Auriacus Lodoico semper in Armis
Oppositus, soli cui fuit Ille timor;
Fataque prospiciens, "Nequeunt discindere nostra
" Fœdera, ait, Parcæ, quæ mea fila secant;

Sic.

" Sic Tibi, ſic, Lodoice, obſto poſt Fata; dolendum
" Sit funus, ſoli cui placet, oro, meum.
Quam regnare vetant Gallorum jura, Tyranni
Quæ minuat faſtum Femina ſola manet.
Sola Domus, o ANNA, Tuæ, ceu Maximus olim,
(Omnibus e Fabiis qui ſuper unus erat)
Reppulit Hannibalem minitantem incendia Romæ,
Tu, Regina, Domus totius inſtar eris.
Hic Vivas, Parias, ait ille, frequentior arces
Nec ferit ætherias ullus ubique ſonus.
Sit ſatis hoc, ſteriles quod ELIZA abſumſerit annos,
Prole nec eſt ulla facta MARIA Parens;
O dilecta Tui ſaltem, ANNA, ſuperſit Imago,
Sic neque NASSAVIUS, nec potes, ANNA, mori.

Jacobus Talbot, A. M. Coll. Trin.
L. Hebr. Profeſſor Reg.

ITE breves Pompæ, ſolennia ſplendida; Luxus
Relliquias *Galli Principis* iſte decet.
Nemo conductus NASSOVI in funere ploret;
Non emti in munus triſte doloris opus:
Terra ſatis veros teſtatur ſquallida Luctus,
Neſcia, quos Humeros nunc premet Axis onus.
Ipſa ſuos noſtris miſcebit *Gallia* fletus,
Sanguineas lacrymas, quas dabit, illa paret.
Tuque o *Mezentî*, *Latiis* novus horror in oris,
Irrita qui *Lauſum* mittis in arma tuum;
Tu flebis; non dextra Deus, non ficta juvabunt
Federa, non *Anglis* altera danda fides.
Dum puer infelix nec Diis, nec viribus æquis
Certat, pro ſævo victima triſtis Avo;
Ipſe domi *Angliacum* ſedeas viſure Triumphum,
Femineumque feret *Salica* terra jugum.

Gulielmus Ayloff, A. M. Trin. Coll. Soc.
& Acad. Orat. Pub.

O Crudelis adhuc, nunquam satianda dolore
Anglorum! quoties mœstas Libitina Camenas
Ad partes revocas? age dic quot funera Regum
Quotque Ducum: gravibus deflebit Granta querelis?
Noctes atque dies tristis, miserabile carmen
Integrat heu nimio jam opprossa Britannia luctu.
Obruta, & immenso lacrymarum flumine mersa
Mista sit Oceano non amplius Insula. Vatum
It planctus cœlo, unde pium deducere Regem
Carmina nulla valent nec inania vota Britannûm.
Occidit Europæ decus & tutamen. Acerbum
Hoc funus plorent omnes, juvenesque senesque.
Omnibus est flendum; nam profuit omnibus Heros
Fortis & Invictus, nulli pietate secundus,
Nec Marte inferior. Ploret jam Belgia tristis,
Plorent Germani, plorent Garamantes & Indi:
Illum etenim norunt fama quam terminat astris.
Heu Pietas! heu Prisca Fides! heu Bellica Virtus!
Vos condunt Regis crudelia Fata sepulcro.
Morte jacet torpens manus illa, inimica Tyrannis;
Hostes nec terret tam formidabile Gallis
WILLHELMI nomen, nullo non Nobile seclo.
Deficiunt vires conantem dicere laudes
Defuncti Herois, nostrumque referre dolorem.
Parce precor Deus, o! perituris parce Britannis,
Atque modum tristi jam tandem pone labori,
Quodque tuum est, miseris nimium solatia præbe
Quos mala tanta premunt, ullo haud redimenda favore
Numinis. At, quæ sit mitis clementia Cœli
Quo feror ignarus? Nam protinus ecce refulget
Spes ampla, attonitum lacrymis caput Anglia tollit
Absterfis, Domini pene est oblita prioris.
Præsentem Divam lætis amplectitur ulnis,
Hoc solum confessa modo reparabile damnum
Amissi Regis; WILLHELMUM nam excipit ANNA.
ANNA decus Britonum, spes dulcis & unica surgit,
Fraterni Imperii, & Virtutis amabilis heres,
Cœlesti fama & cœlesti prædita mente,
Imperium terris ætatemque æquet ELIZÆ
Felici Regno; ad cœlos o! sera, precamur,
Fratri dissimilis festina morte, revertat.

Ante tubam exuvias, præguſtatumque cruorem
Armigeri impatiens poſtulat Ara Dei?
Pergama cum peteret Menelaum ulturus Atrides,
Filia turbatas Victima ſtravit aquas.
Nos graviora premunt, Rex occubat Ipſe: ruinæ
Sit precor augurium, Galle ſuperbe, tuæ.
Succeſſuſque pares ſi tanta piacula ſpondent,
Annus in exitium plus ſatis unus erit.
Impia jam, Lodoix, in Te perjuria pugnant,
Noſtraque contemtum Vindicat ANNA Deum.

J. Cooper, A. M. Coll. S. S. Trin. Soc.
& Acad. Procurat. Sen.

ORBIS delicias, Angligenûm decus,
Ingens Teutonicæ præſidium Rei,
Ereptum ſubito funere Principem
Ploramus, gemitus ſiſtere neſcii.
Sincerum nihil eſt, nil ſolide bonum,
Inſani quoties Diva potens joci
Permutata volet gaudia luctibus?
Audivit nimium læta Britannia,
Armis indomito Rege ſuperbiens,
Illuſtrique ſato ſanguine Principum.
Virtus nobilium conſcia ſtemmatum,
Regum magnificis fulgida honoribus,
Conſtrinxit Procerum corda faventium
Vinclis obſequii, ſive negotia
Martis conſuleret, ſeu vice amabili
Leges Pacificas conderet otii.
Nutantem ſtabili ſede Bataviam
Firmare, atque acies ſternere Celticas
Belli Primitiæ, vix Juvenis labos;
Ætas proveniens inde ſagacior
Annis adjiciens experientiam
Majorum edocuit ſceptra capeſſere,
Europæ inſtituit diſſidii Arbitrum,
Europæ trepidis hoſtibus obvium.
Tandem, fedifragæ crimina Galliæ
Pertæſus, ſuperas adpetiit domos
Cœleſtem patriam cœlicus occupans.

Ad

Ad Regnam.

ADDITO demum ſuperis WILHELMO
Diva conſcendis ſolium Paterno
Jure firmatum Tibi, Providique
Voce Senatus.
Scilicet Patres potuit movere
Gentis excelſæ Decus, Amplitudo,
Blanda Majeſtas, hilaris decori
Gratia Vultus.
At Deum ritu Patrio colentis
Emicans primis Pietas ab annis
Conſcios flexit, valuitque ſummum
Flectere Numen.
Traditum nulli melius putamus
Arduum munus Fidei tuendæ,
Quam Tibi veræ & Patriæ columnæ
Relligionis.
Gratias omnes agimus, beati
Quod probos pergis deamare Cives,
Hæret & ſemper memori Tuorum
Gloria cordi.
Hoſtibus victis referas ELIZÆ
Aureum ſeclum, referas MARIÆ;
Et novo partu trepidis ſecundes
Regna Britannis.

Sa. Aubery, Coll. Jeſ. Soc. Proc. alter.

QUÆ Regio in terris, quæ Gens; ubi Cura, Laborve
NASSAVII Herois non Popularis erat?
Humano aptatum Generi & (proh!) ſiccine pectus
Deflendas etiam mortis obire vias?
Cum licuit nobis recubare ſub Auſpice Tanto,
Quam Tutis dudum; cui GULIELMUS abit?
Jamne Fidem repetunt hominum, Hoc Tutamine rapto,
Dii ſibi, quo quondam Numina Facta, modo?
Sors pendebat ab Hoc Regum, nebantque Sorores
Hujus & Imperii ſtamina preſſa ſimul?

Heu!

Heu! nunc Ejuſdem Reges in ſorte fatiſcunt;
In Filo imperii Frena ſoluta fluunt.
Per Terras planctus pia prodigat Amphitrite;
Et Ponto reboent Litora—Pan moritur.

En! Communi Anima ſpoliatæ fletibus (eheu!)
Intentant miſtis Opſque Thetiſque chaos.
Tale Decus Mundi, Fulmen Belli, Anchora Pacis,
Diſceſſitque Ducum Mens, Populique Salus.
Non capit Ingenium GULIELMI Encomia Vivi;
Quod capit, Extincto, creditur Ingenium:
Nec jam ſufficiunt numeros Virtutibus Aſtra;
O ubinam Divi Spiritus iſte latet?

Macta tamen noſtro gaudebit Gallia Luctu;
Quid prohibet Furiis Te, Lodoice, tuis!
Terrarum hac clade & ſolus paſcare; Tyrannum
Sic deceat ſummum cor ſatiare ferum.

Ad Reginam.

QUI tandem Infelix Vates, Regina, ſalutet
Cuí cœlos ſuperi per Diadema parant?
Sceptra caduca vides Fratriſque—& juncta Sororis,
Conjugis o magni ſola Corona Tui.
Inter at Horrores Luctuſque ſolubilis Orbis
A Te, Totius Palladis orat opem.
Ipſa, Soror; Fratrem tui agas virtute Georgî:
Una Duos reddas; compleat ANNA Duos.

T. B. Coll. Magd. S. Taxator.

OCCIDIS heu! Angli fato merſamur acerbo,
Olim gens invicta malis (audentior omnem
Fortunam contra) neque jam vincenda, dolore
Obruta pene ſuo quamvis ſtupuiſſe videtur.
Lugemus merito tua funera, teque Parentem
Regnorum & Patriæ mœſti ploramus ademtum,
Proſequimurque piis lacrymis & quærimus orbi
Virtutem fruſtra, qua quondam vindice tuti

Egimus,

Egimus, & fortes tua, Gallia, ſprevimus arma,
Iramque inſidiaſque, ac artes mille nocendi,
Fallendique vias: & jam quoque ſpernimus; ANNA,
Inſignis pietate & ſanctis moribus ANNA,
Æmula virtutumque tuarum & nominis ANNA
Conſiliis armiſque potens, Illuſtris ELIZA,
Imperio poſtquam ſucceſſit: & omine fauſto
Quæ junxit Magnus GULIELMUS fœdera firma
Eſſe jubet; belli ſociis conjungere pergit
Anglorum invictum robur, felicia ſigna,
Vindicta aſſurgens juſta: quum fœdere rupto
Perfidus en iterum meditatur prœlia Gallus.
Olim Pellæus ferro pugnavit & auro
Ipſe manu fortis, duri patiensque laboris.
Huic quam diſſimilis Lodoicus nomine Magnus!
Ipſe domi reſidens, mollique ſupinus in oſtro,
Prædones fortes, & pectora prodiga vitæ
Europæ immittit; Libertatique minatur
Vincula turbatæ, ſed non ſervire paratæ.
Laſcivum illa Jovem ſpernit ſtudioſa pudoris,
Aureus in gremium quamvis deſcenderit imber.
Auſpiciis ANNÆ qui poſcis prœlia Miles,
Indue nunc ſolitas vires animique vigorem:
Incendat mentem GULIELMI ingentis imago,
Qualem Namurcum, vel qualem Boinia vidit.
Quo virtus tibi monſtrat iter ſequere impiger: urge
Non facilem vinci gentem, maleſidaque caſtra.
Sic ſemper victrix cingat tibi tempora laurus,
Sic reducem excipiat dignum Regina favore.
Felici eventu finemque imponere bello
Concedat juſto magni Regnator Olympi.
Non Terræ tantum, ſunt ANNÆ ſubdita ſceptris
Æquora: tu pacem pelago & commercia tuta
Reddas; auſpiciis, Rooki, felicibus, alti
Propugna maris Imperium, Angliacoque Tridenti
Subjicito; ſeu tu flammis ultricibus pras
Gallorum vaſtes, ſeu claſſes æquore toto
Cedentes violentus agas ſimiliſque procellæ:
Et Dominæ memor & propriæ virtutis, honores
Anglorum veteres ſupera; tu talia facta
Edas, quæ, modo proſpicerent, mireturque uterque
Howarduſque ſciens pugnarum, ac horridus armis

Drakius, Hiſpano bene notum nomen utrumque.
Deſtinat Omnipotens nobis felicia dexter
Secula, qui priſcas tibi, Regina, indidit Artes.
Relligionis amor Tibi gliſcit pectore toto:
Non intenta ſacris tantum cœleſtia cures,
Sed Populo jus antiquum, & ſua jura Coronæ
Aſſere non Antiqua minus; fundamine namque
Hoc dabis Angligenis ſtabilem per ſecula gentem.

Epitaphium GULIELMI *Tertii.*

BELLO ingens, nec pace minor, quo vindice Belgis
Angligeniſque ſtetit Libertas; gentis Iberæ
Ingratæ Stator; agnovit quem Gallia Martem;
Poſt exantlatos, GULIELMUS, mille labores,
Terreſtri poſito Sceptrum cœleſte recepit.

Rob. Grove, Coll. Div. Johan. Socius,
& Acad. Regiſt. Principal.

WILLHELMI Virtus indignans unius orbis
Fines, & ſtudiis regna minora ſuis;
Angliacis poſtquam fulſiſſet amicior oris,
Enitet ætheria Lumen in arce novum.
At Lodoix vivit, dum candidioribus atras
Injiciunt animis improba fata manus:
Nempe illi nondum magnus ſe pandit Olympus,
Nec Virtus ſuperas vendicat ulla domos.
Quem vero, o ſuperi, Regis poſt funera, rebus
Imperii fractis Albion ægra vocet?
ANNA tuis tandem præſens ſuccurre Britannis,
Et populi triſtes ſolve miſerta metus.
Nunquam WILLHELMUM fatear, te ſoſpite, totum,
Aut MARIAM Britonas deſeruiſſe ſuos.
Lætior ut rerum facies illuxit! & ortum
Diſpulit ex omni nubila fronte jubar!
ANNA ſuis comitata Deis, magnæque Sororis,
Rurſus Elizæos imperat ire dies.
Namque graves poſuit quod gens mœſtiſſima curas,
Et vultus ſiccis ſuſtulit, ANNA, genis,
Muneris omne tui eſt: o quanta futura voluptas,
Quæ poteras tantis eſſe medela malis?

Tho. Manningham, Coll. Regal. Alumn.

EN!

EN! *Lodoice*, Hoſtem; mitte inſultare jacenti,
Et Cineres ſaltem parce movere ſacros.
Huc verte: armatos regit idem Spiritus Anglos,
Et quæcunque vides noſtra, WILHELMUS ibi:
Cor ejus *Regina* gerit, Cerebrumque *Senatus*,
Anglia tota Fidem, *Churchiliuſque* Manum.
Egregiam interea laudem, magnoſque Triumphos,
Amplaque Regna paras tuque puerque tuus;
Cum duplex Hoſtis diviſum vendicat Orbem,
Imperium Pueri Cæſar, & ANNA tuum.

Fra. Vincent, Coll. Trin. Commenſalis.

NASSAVII celebrare parat Rhedycina Triumphos:
Non ingrata pio carmine Granta dolet.
Sed tamen illa prior votis felicibus ANNAM
Occupat: idne juvat, dedoluiſſe prius?
Non male ſinceris ſuccedunt Gaudia curis:
Exſultare Lubet, nec *doluiſſe* Piget.

W. Wanly, Coll. Jeſ. Soc. Commenſ.

FLEVIMUS extinctam feſtina morte MARIAM,
Atque immanarum funus, Iule, tuum:
Vixit WILLHELMUS; noſtrique fuêre timores
Vani, vanæ etiam ſpes, Lodoice, tuæ.
Jamque audes fruſtra vano turgere triumpho,
Quem Libitina tibi, non tua dextra dedit.
At cave ne ſacrum decorent tua Lilia buſtum,
NASSAVIIQUE cadas victima digna rogo.
Vivit adhuc (vivatque diu) GULIELMUS in ANNA,
Vivit in exitium noſtra MARIA tuum.
O date, cœlicolæ, modo, ſi poſſitis, Iulum
Angligenis, in quo vivat uterque Parens:
Sic aget optatos Britannia læta triumphos,
Major, Galle, minis, &, Libitina, tuis.

R. Gale, A. M. Coll. Trin. Soc.

CÆ-

CÆSAREAM innumeris laſſatam cladibus Aulam
Heu nimium infelix terra Britanna gemit!
Auguſtos MARIÆ cineres, Veſtroſque, GLOVERNE,
Fleverat; en, lacrymis impoſuitque modum:
At dum WILLHELMUM rapiunt ſua Fata maligna,
Additaque antiquis hæc nova plaga malis,
Solari ſe vix patitur, tot & aſpera tanta
Jam ſtupet, infidos & vocat ore Deos.
ANNA tuis tandem manibus pia ſceptra capeſſis;
Invidia inſanis nunc fremat uſque minis:
Cum per Te dederint quicquid ſperare relictum eſt,
Non ultra iratos quis putet eſſe Deos.

Wilhelm. Piers, S. T. B. Coll. Emman. Soc.

HEU fauces nunquamne avidas ſaturabit Avernus?
Funeream ponet nec Libitina facem?
Extinctam lacrymis dudum ſperavimus illam:
Concepit flammas unde repente novas?
Ergo jacet, cui nos vani promiſimus ævum
Narratur Pylio quale fuiſſe ſeni,
Concordi Britonas qui junxit fœdere Belgis,
Juſſitque ut ſolis diſſocientur aquis.

Audit, & exſultat tuta Lodoicus in arce,
Et ſpe venturi plenus honoris, ait:
Jam nihil, o ſuperi, querimur; Dux captus in urbe,
Et cædes iſta conditione placent.
Germana Eugenius (ſi vult) ſe jactet in aula,
Gaudeat & fato, mœſta Cremona, tuo.
Nil moror hæc; cecidit, qui fœdera ſuſtinet unus;
Jam totus noſtras ſentiet orbis opes.
Anglia præcipue tu victa fatebere, quantum
Diſtet ab empto femina veſtra Viro.
Hæc demens. at tu ſpondes meliora Britannis
ANNA decus populi, deliciæque tui.
Te formidatas mittente per æquora claſſes,
Reginam agnoſcunt debita Regna novam.
Jam neque MARIÆ mortem; neque dulcis Iuli,
WILLHELMIVE diu fata dolere licet.
ANNA venis ſceptrumque capeſſis; jure coronis,
Cum tria ſic penſes funera, digna tribus.

M. Broughton, Coll. Trin. Alumn.

REGI

REGE orbata ſuo jam deſinat Anglia luctus
Heu! nimium juſtos, Omina fauſta monent.
WILLHELMUS Batavis arcto Nos fœdere junxit,
Juraque *diverſis* Gentibus *æqua* dedit:
ANNA (Utriſque diu Deus ANNAM ſoſpitet) Illos
Non minus eſſe ſuos, Nos *magis* eſſe putat.

R. Cannon, A. M. Coll. Regal. Soc.

ATTONITAS Britonum cum primum perculit aures
WILLHELMI ambiguo Mors inopina ſono;
Obſtupuere piæ, non auſæ credere, Muſæ,
Atque diu luctus pertimuere ſuos.
Te, GULIELME, etenim crudeli funere raptum
Quæ triſtis poterit Muſa Britanna loqui?
Quod poterit carmen tanto par eſſe dolori?
Qui damno inflicto ſufficienſve dolor?
Sed quia venturæ, Fatis ſtatuentibus, ANNÆ
Non alia ad Sceptrum panditur ulla via;
Mitius hinc fertur Cœli decreta voluntas,
Quæ Te, Rex, nobis abſtulit, atque dedit.
En vacuum aſcendit ſolium Regina, Sororque,
Altera ſpes; Britonum magna futura ſalus.
A Te dum teneat ſociatas federe Gentes
(Rumpere, ſed fruſtra, quod Ludovicus avet;)
Dum pleno aſſenſu concurrat Curia læta,
Dumque Europa Aulæ confluat, ANNA, tuæ;
Dum flagres forti, dum vere corde *Britanno*,
Et juſta vibres Anglica ſceptra manu;
Gallia Femineæ mox ſentiet omina Dextræ,
In qua defunctus vel GULIELMUS ovat.
Immo iterum potius GULIELMUM Gallia vivum
Quem timet, optabit, quo moriente ruet.
Tu, REGINA, tamen tantis ſuccedere cœptis
Gaude, quod Fratris palma relicta Tibi eſt:
Illuſtrem tollent gravidis Annalibus ANNAM,
Quaque olim optabunt, Secula ſera, frui.
Cana Fides, GULIELME, tuam cuſtodiat Urnam;
ANNA tuos annos impleat, ANNA ſuos.

Ja. Brabourn, A. M. Trin. Coll. Soc.

AH quid recreſcit vivida, ſæpius
Subacta luctus Hydra? quid inſolens
Vos pontus ambit, quem creâſtis
Fletibus aſſiduis, Britanni?
Sic poſt Nepotis, poſt Tua funera,
MARIA, gaudens ſanguine Regio
Spernit popellum Mors, & ipſas
Relliquias avide requirit?
Heu! quid dolentis, Dive, Britanniæ
Relinquis oras? quid Tua reſpuens
Exempla Clotho, mitiora
Non didicit tenuiſſe ſceptra?
Sic, plebis inſtar, concidis, irrita
Proh! cura cœli? perfida febribus
Illum fatigat Mors, aperto
Quem timuit violare Marte?
Teſtis cruentus, dum dubiis fluit
Campus Seneffæ cædibus; & diu
Lateque victrices catervæ
Conſiliis Juvenis revictæ:
Teſtis Bovindæ ſanguine Gallico
Adauctus amnis; victaque Iërnia:
Et laurus æternos honores
Flandriacis pariens Triumphis:
Unaque Regnis exitium tribus
Longe fugatum; barbara liberas
Tentaret oras cum Tyrannis,
In Thameſin flueretque Tibris.
Dum ſe ſubactam fortius erigens
Egit triumphos victa Britannia;
Dixitque lætans; Ut WILHELMO
Mille ſuo reficit ruinas
Gens nuper hoſtis! quam bene, Belgia,
Claſſeſque merſas, & mare cladibus
Tinctum Britannis, juſta demum,
NASSAVIO reparas in uno.
Minaxque faſſa eſt Borbonidum domus;
Vulpes Leonis prœlia Belgici
Tentamus ultro, quem ſuperbus
Fallere & aufugere eſt Triumphus.

Quæ

Quæ Muſa juſtas dinumeret Tibi,
WILHELME, palmas; quæve Britanniæ
Te, Dive, rapto luctuoſos
Non minuat referens dolores?
En bellicoſos Febris ut inſolens
Adurit artus, Rex pius Atropo
Dum fervet obſtans, & gementem
Flagrat adhuc patriam tueri!
Nec fata, dicit, Me Mea, Brittones,
Sed veſtra terrent; non ego funera,
Mortiſve notas ad Namurcum,
Jam trepidus, facies recuſo:
Majora Parcæ ſpicula debili
Vos admovetis; vos mihi peſſima
Liquiſſe mors eſt, & labantum
Ambiguam Batavûm ſalutem.
Sic Te caventem funera Patriæ,
Tanquam Archimeden, excipiunt Tua;
Regemque, primateſque, & ipſum
Una tegit brevis urna regnum.
Quam mille ſolers, vota Caligulæ
Effecta reddens, vulnere in unico
Sparſit ruinas Mors, Caputque
Gentibus innumeris recidit!
Fati revinxit participes Tui
Languor Britannos; Dania torpuit,
Rhenique potor, dum Batavi
Exanimes mutilique marcent.
Sic deſtitutum, mens ubi fugerit,
Riget cadaver: priſca deeſt venus,
Vigorque decedit, ſuique
Diſſimili ſedet ore Pallor.
Tu Victor altum pergis ad æthera,
Majuſque regnum; cumque GLOVERNIO
Rurſum recumbens & MARIA
Perpetuos renovas Triumphos.
At uſque gratis, Maxime, Poſteris
Recens vigebis; fugerit Albion
Dum Servitutem, dum Britannis
Relligio (Tua dona) cordi eſt.
Talis labores impiger Hercules
Abſolvit Oetæ culmen ad igneum;

Flammæ-

Flammæque velox avolavit
Ipſe comes ſuperas ad arces.
At quæ Britannis Lux nova luridas
Pellit tenebras? quis tacito obſtrepit
Plauſus dolori? quis reverſum
Ad ſuperos reparet WILHELMUM?
En ANNA Fratris ſceptra gerens Soror,
Cunctiſque gratas, ni ſibimet, vices,
Fati rapinas expiavit,
NASSAVIO tetricaſque Parcas.
Reponit anceps Penelopes opus
Mœſtis Britannis Atropos, & ſuam
Telam retexit; quoſque nodos
Conſuerat, facilis reſolvit.
Invecta bigis ſic niveis ſoror
Phœbea fratris funere lucidos
Succendit ortus, & gelatis
Lumen Hyperboreis reponit.
Par ſors Achilli quam bene ſpiculis
Infligit iiſdem vulnus, & amovet;
Dextrâque mitis, quas ſiniſtra
Intulerat, reficit ruinas!
Talis ſuperbam fregit Iberiam
Eliza: tales denuo patriæ
Spondet, revicta mox eadem,
Dux iterum mulier Triumphos.
Sic, ANNA, fauſtis auſpiciis Tibi
Præluſit Heres provida Conjugis
MARIA, dum præſente Divo
Flandriacæ fruerentur oræ.
Nunc abfuturi perpetuo ſuis
Eheu! Britannis munera ſuppleas;
Fratriſque mœſtos, & Sororis
Una rogos repares MARIÆ.
Nec ante fati lex ſibi debitam
Vitam repoſcat, quam ſoboli Tuæ,
Tuiſque raptos reddat annos
Juſta tibi Lacheſis reponens.

W. Sherlock, Coll. Chriſti Alumn.

O Maximorum nominis NASSOVII
Sanguis parentum! o ſemper, illuſtrem Domum,
Natamque in uſus generis humani, nova
Præſens tueri laude! jam nullam, ultima
Te prole rapto: queis ſequi nobis Tua
Fas ſit querelis fata? cui Britannia
Servata debet, Gens quod uſpiam optimo
Debere Regi poſſit afflictiſſima.
Cum ſceptra primum læta donavit Tibi,
Partæ ſalutis præmia; ex illo mali
Secura vanas Galliæ riſit minas,
Romæque fraudes; quoſque molita eſt domi
Perjura Turba, ſenſit incolumis dolos:
Tenente terras Rege felici, pio,
Prudente, forti; nulla quæ dudum foret,
Abſque hoc fuiſſet; viguit, atque etiam viget.
Ille haud ruentis Imperî columen modo
Collapſa pene Regna reſtituit, jugum
Ne ſervitutis triſte ſeros læderet
Cavit nepotes legibus ſanctiſſimis:
Queis, Fata vitæ dura quod negant ſuæ,
Æterna perſtet uſque Res Britannica,
Æternus Ipſe Gentis audiat pater.
Patrem vocari Gentis unius parum eſt:
Non una Libertatis authorem ſuæ
Senſit WILHELMUM: quantus urgebit dolor
Miſeras, abeſſe quando terris ſentient,
Quibus tuendis totus incubuit, diem
Cum jam ſupremum duceret; quibus ſuper
Dum multa quærit, obiit; hoc unum ſibi
Dolens negatum, tollat ut trepidis metum,
Et ſæva juſta Regna convellat manu.
Hoc ſi dediſſent numina! id tamen juvat,
Regique triſtes optimo curas levat,
Quod ſceptra cedens Ipſe tantæ Principi
Geſtanda tradat; quæ per omnia ſimilis
Magnæ Sororis, Ipſa dilectiſſima
Semper Britannis, invicemque diligens,
Felicitatis ſpes futuræ maximas
Suiſque Gentibuſque vicinis facit.

Fr. Hare, A. M. Coll. Regal. Soc.

Ad Reginam.

CERNIMUS ingenti quam pares, ANNA, dolori,
Quamque jaces triſtis: deſine flere *Deum*;
Nec tu ſolicitæ fugias moderamina Gentis,
Siſque MARIA ſoror, ſis & ELIZA tuis.
Non eſt quod dubites de fido corde tuorum;
Matronæ cultrix Anglia ſemper erat.
Nec conjuratos timeas regina inimicos,
Optima dum docto *Fincius* ore monet,
Temperat & tumidos prorex *Roſſenſis* Iërnos,
Armaque *Churchillus* dum ſociata regit,
Dumque tuo imperio compeſcit *Rukius* undas,
Defendiſque Fidem relligione Tua.
Sic habeas ſemper Proceres, Populumque benignum,
Grataque ſic regnes omnibus, Alma, diu;
Olim nec veſtro deſit de corpore pignus,
Qui vice fungatur, ſit ſimiliſque tui.

Ant. Twyman, A. M. Coll. Div. Johan. Soc.

SI modo regnantum Turres, inopumque Tabernas
Æquo pulſaret mors inopina pede;
Non adeo ſævas auderem dicere Parcas,
Tantum deflerem Fata, WILHELME, tua.
Sed nocet eſſe ſatum Regali ſtirpe, nec æquos
Parca dat ignotis, Principibuſque dies:
GLOVERNO nocuit virtus maturior annis,
Quodque Tibi fuerat proximus, ANNA Parens:
Et Tibi, NASSOVI, columen nocet eſſe Britannis:
Tam cito quod tantus, non diuturnus eras.
ANNA, Tibi AURIACUS relevabat funera nati;
Tu nunc AURIACI funera, ſola levas:
Sed tua quis poterit relevare, niſi alter Iulus,
Quem Regnans paries ANNA, ſuperſtes erit?

Ric. Halford, Coll. Regin. A. B.

Quam

QUAM nube cæca condita nos latent
Eventa rerum! dum bene cavimus
Hac parte, non æque paratos
Dura manent aliunde fata.
Quis non timebat ne, nimium ſui
Securus, inter tela micantia,
Araſque defendens focoſque
Oppeteret GULIELMUS audax?
Quis non latentes pertimuit dolos,
Sicam, venenum, tela domeſtica?
Atqui nec illum fraus doloſa,
Nec rapuit fera vis duelli.
Atrox adactum vulnus in intimis
Hæret medullis; & penetrat jecur
Crudelis ictus, non vel ipsa
Pæonia reparandus arte.
Notum, MARIÆ poſt obitum dolor
Heroa quanto perculit impetu:
Hæc illa lethalis ſagitta,
Lugubris ille dies utramque
Duxit ruinam. Quod reliquum fuit
Exinde vitæ Morbus erat gravis,
Auramque pertæſus ſupernam
Non ſibi, ſed Patriæ trahebat.
Mox ut Britannos conſiliis ſatis
Europam & omnem munierat ſuis;
Hos Rege cùm WILHELMO, eodem
Hanc Duce poſſe carere ſenſit:
Tandem receſſit tam placido gradu,
Ut vix abîſſe hinc ſentiat Anglia,
Ne vita quos omnis beârat
Vel moriendo daret dolorem.
Talis ſtruendi callidus Artifex
Cavet ruinæ: fulcraque non prius
Subducit, ædes corruentes
Quam nova ſuſtineat Columna.
Hinc eſt quod atra Gens celebret pia
Dum veſte mœſtas exequias Ducis,
Non ſic ademtum luget, ac ſi
Spes Britonum periiſſet una.

Manet ſuperſtes Regia Femina,
Cui ſceptrum aviti deſtinat Imperî
Virtuſque ſublimis, genuſque,
Et Populi favor univerſi:
Benigna, prudens, rite Deum colens
Puroque cultu; pectore tam pio
Amans Maritum, ſic amata,
Ut rediiſſe putes MARIAM.
Privata ponunt jurgia ſubditi,
Et auſpicato vidimus omine
Certamen unum jam relinqui,
Quis Dominæ magis obſequatur.
Conſentienti nunc prece ſupplices
Oramus, ut quæ pro Patriæ bono
WILHELMUS ingens deſtinârat,
Hac Duce & Auſpice conſequamur.
Nunc icta gaudent federa & exteræ
Firmare gentes, ſoliciti ambiunt
ANNAM potentem Federati,
Ac alacres ſocia arma jungunt.
At hæc viciſſim proſequitur ſuos
Amore juſto; nec minus erigit
Quos cauſa jam communis unit,
Datque animos ſtimulatque dictis.
O ſi verendæ tempora Principis
Multos in annos protraheret Deus,
Daretque jam Matri benignus
Progeniem diuturniorem!
Regnante quantis patria commodis
Fruetur ANNA! dives & inclyta
Ubique, ut olim cum ſub almæ
Floruit auſpiciis Eliſæ.
Tuque o, peroſa fracta tyrannide,
Gemenſque iniquo pondere, Gallia,
Exhauſta bellis; mox quieſces,
Femineo dominata ſceptro.

Andreas Snape, A. M. Coll. Regal. Soc.

Ecce

Ecce iterum acerbi nova causa luctus;
Vix intermissæ lacrymæ denuo fluunt,
Hæretque penitus infixus animo dolor,
Infandus dolor: namque tot ærumnis
Languida, non certo pede Musa fertur;
Mærori indulget, omnemque curam sui
Abjecit, nec ornatum quærit, neque tenet modum.
Vere dolet quisquis præter modum dolet.

Nunquam doloris justior causa fuit.
Orbis amor, præsidium Europæ,
Britanniæ decus, Tyrannidis flagellum
Qui modo erat, nunc jacet heu! cadaver.
Nunquam doloris justior causa fuit.
O semper lævæ mentis Britannia!
Præsentisque boni nescia!
Nunquamne tua bona intelliges?
Absque Anna esset, intelligeres carendo.

Novis morbis nova dat remedia
Numen propitium, mala pensans bonis.
Venena mittit? mittit & quod contra detur;
Post Monstra venit Hercules,
Et post Ludovicum Gulielmus.
O nomen Immortalitati commendarum!
Religio incorrupta prius erit fastidio,
Et prius dura servitus erit nordi,
Et Boynus prius in fontem refluet suum,
Ætasque prius exedet Namurci mœnia;
Quam memoria hominum elabatur fama Gulielmi.

Nauclerus qualis sit, ostendit turbatum mare:
Temporibus dubiis se probavit Gulielmus,
In Bello maximus, nec in Pace minor,
Occultum hostium nefas quanta prudentia elusit,
Qua fortitudine repressit apertum scelus:
Nullis interim nisi malis metuendus,
Quum nemo bonus hostem haberet Gulielmum.
De jure suo toties cessit lubens,
Id publicum quoties bonum postulare videretur:

Credebat enim magni animi Princeps
Se non tam ſibi natum eſſe, quam aliis:
Nos hujus curis fruebamur otioſi;
Hic gloriam eam obtinuit, quam plurimis prodeſſe.
Vidit ſuos in partes miſere diſtractos,
Et in partium novas partes;
Vidit & indoluit,
Sed noſtra magis cauſa quam ſua;
Quanquam & mala noſtra ſemper habuit pro ſuis.
Nullo ille partium ſtudio abreptus,
Virtute ſuperior,
Communis ſuorum Pater:
Animos à ſe invicem alienos
Quanta arte tractavit!
Diſcordes ſuorum motus
Quam æqua manu compoſuit!
Si tam cognôſſent medici occurrere
Corporis Humani morbis, quam Tu Politici;
Viveres nunc, GULIELME,
Teque tui læti potirentur.

Si quidem, Hercule fato functo,
Nunc Monſtra impune graſſentur;
Deſinat timere Ludovicus,
Jugoque gentes cogat aheneo:
At cave, tu te fallas, Ludovice;
Etſi, ne fallas alios, parum caves.
Neglectum toties fedus, fidemque vanam
Tandem aſſequetur pede Pœna claudo:
Et magis faſtum tumidum retundet,
Et Divina magis liquido patebit
Virtus, cum te nil tale cogitantem
Mox Nemeſis reprimet Feminea manu.

Olim potentiam fregit Hiſpanicam
Auguſta virgo, & liberam eſſe juſſit
Europam: nunc vim pariter Gallorum
Majorem juſto conteret ANNÆ manus
Amica Mundo; quantumque Mulier poſſit,
Diſcet Ludovicus non levi documento.
Galli quum viderint feminæ quales ſient,
Optabunt legem Salicam reſcindi.

ANNÆ virtus, quas dedit ſpes, implebit.
Hæc Numinis honorem mente agitat pia;
Jus faſque inſunt factis, & in verbis fides;
MARIÆ Sororem facile agnoſcas.
Nos, Diva, multa facias beatos
Prole, quam in vitam diuturniorem
Inducat tandem Lucina benignior.
Interea ſub tam miti Imperio
O liceat nobis ſero ſeneſcere.

Ja. Allgood, A. M. Coll. Div. Joh. Evang. Soc.

PARCA, diu (res ſiqua diu eſt mortalibus ægris)
Viximus: huic damno quis ſupereſſe velit?
Te vivo, GULIELME, graves lenire dolores
Cœpimus; & levior mors fuit ipſa Ducis.
Albion ingentes quo nunc ſolamine curas
Mulceat? Orbem humeris quis ferat alter Atlas?
Muſa tuos accincta fuit celebrare triumphos:
Muſa mori vetuit, vivere Parca vetat.
Cedit Apollo neci; (Fatum jam plaude) perennem
Te tamen, invito Numine, Apollo dabit.

Ad Reginam.

REX cœlum ſublimis adit, MARIAMQUE reviſit,
Necnon GLOVERNUM (pignora cara) tuum.
Quid facient Britones? Princeps cape ſceptra Britanna:
Marte recedenti rideat alma Venus.
Pergama defendunt Mars & Cytherea; viciſſim
WILLHELMUS Britonas ſervat, & ANNA ſuos.

Gul. Burrell, A. B. Coll. Chriſti.

PROH vatum ignaræ mentes! heu pectora cæca,
Et tandem non verus Apollo!
Sic Superos ſolari obitus, caſumque GLOVERNI?
Sic gentis ſopire dolores?
Hoſne eſſe (infandum!) quos olim Fata Britannos
Juſſerunt ſperare triumphos?

Ergone,

Ergone, dum noſtrum propior, Phœbe, aſpicis Orbem,
Luſtraſque almo cætera vultu,
WILLHELMIQUE tuaſque vides marceſcere lauros
Languente una Pacis oliva?
Heu dextram bello invictam! quæ fulmina quondam
Vibravit? quas ſparſit in hoſtem
Strages? ann' illi poſſit ſe opponere quiſquam,
Quiſquam ferre impune WILHELMUM
Armatum? ſive Heroem Bovinda vocaret,
Sive iterum expugnanda Namurci
Mœnia. ſat felix Brittannia! ſi modo dona
Tanta etiam diuturna fuiſſent.
At quæ jam rerum facies, quam dira, rogoque
Pene uno tria regna ſepulta!
Et Britonas, quos non inimicus terruit enſis,
Non poterant arma ulla domare,
Tu moriens, GULIELME, domas; & fortior armis
Corda dolor mavortia fregit.
Nec fas afflictis melius confidere rebus,
Aut finem ſperare malorum,
Annam ni dent Dî immortalem, aut illa Britannis
Partu alios felici WILHELMOS,
Qui vere extinctos referant, populoſque ſuperbos
Contundant, Galloſque rebelles.
Interea invideas (quales tua Gallia neſcit)
Femineis, Lodoice, triumphis;
Incaſſumque novæ, qua nil magis horret, Iberus
Parere indignetur Elizæ.

Radulph. Markham, Coll. Div. Joh. Alumn.

FAMA per Angliacas alis pernicibus urbes
Ivit, & ipſa ſua lugubri territa voce
Noſtrum narravit GULIELMUM Fata tuliſſe;
Et populum, dum pendebat narrantis ab ore,
Corripuit peſti ſimilis gravis halitus oris:
Deinde ſuas flexit celeres trans æquora pennas.
Belgicus horrendum gemuit Leo; nam grave mandat
Officium Batavos luctus conjungere noſtris:
Horum etenim pars magna fuit GULIELMUS; utrumque
Noſtrûm communi patrio curavit amore,
Nutriit inque vicem radiis propioribus ambos.

Sic

Sic (& conſilio ſimili) ſemeſtria quondam
Delius & Patareus Oracula dixit Apollo.
Ecce pii Regis per fortia pectora telo
Fati tranſacto, Germani nunc Jovis acris
Alitis alte hæret lateri lethalis arundo,
Et tenues ægris jam pennis verberat auras:
Dudum ſolis iter medium facientis atroces
Pertulerat radios; aciem fregere dolores,
Lædit nunc oculos inimicis fulgor ab armis.
Sic, quæ vita fuit GULIELMI, Funera narrant:
Haud regio in terris noſtri non plena doloris.
Invictum gaudent inimici tollier hoſtem,
Sublatum lugent Decus & Tutamen amici;
Attamen attonitos perculſit fama Britannos
Compages veluti naturæ fracta ſonaret,
Aut Tuba ſupremi ſignum ſolenne diei:
Jure etiam ſummo tunc Regis Manibus illas
Libabant lacrymas, queis Regis Vita pepercit.
Hac autem tenus Exequiis & Honoribus actis,
Tolle graves oculos, & mitte Britannia, luctus;
En Sceptrum Regina tenet, quæ paſſibus æquis
WILLHELMUM ſequitur: remanent immota tuorum
Fata tibi, nec te exſpectat, ne finge, periclum:
Parce piis lacrymis, indigno parce timori,
Hos etenim luctus olim meminiſſe juvabit.
Tu ſequere haud læva inſignes jam mente Triumphos
Matre Dea monſtrante viam, quos Fata dederunt;
Abroget ut Salicam temeraria Gallia legem,
Hiſpanique iterum noſcant quid Femina poſſit.
Et licet amiſſum luges, pia Belgia, Patrem,
Ne timeas; nam luce magis dilecta Sorori es.
Atque Aquilæ optatò medicis, Germania, noſtræ
Reginæ manibus ſanato vulnere, campos
Læta per Auſonios victrices porriget alas.
Tolle graves oculos, & mitte, Britannia luctus;
Cede Deo; fatis contraria fata repende.
Haud minus incerta eſt, quam federa Gallica, vita
Humana: & Reges fato ſuccumbere, Regnis
Omnibus hoc commune malum; ſuccedere talem
Heredem Regni, propria eſt hæc Gloria noſtro.

Tho. Rymer, A. B. Coll. Regin.

HEU miſeros Anglos! heu! noſtri gloria regni,
Præſidium, columen, dulce decuſque perît.
Heu! GULIELMUS obît, galeaque togaque celebris;
Hoſtilis terror gentis, amorque ſuæ.
At cur nos miſeros fingo, gentique beatæ
Cur timeo inſulſe providus? ANNA regit:
Nec periit Magnus GULIELMUS; vivit in ANNA:
Mutatur nomen; mens pietaſque manent.
ANNA illuſtris ave, defunctumque inclyta totum
Et Regem, & totum perge referre Ducem:
Diſſimilis modo ſis Ætate: diutius Illo,
Non precor ut melius, ſceptra Britanna geras.

Paſſingham, Coll. Pet. Al.

TU quoque ſolve pias lacrymas, patriæque querelis,
Melpomene, triſtes flebilis adde ſonos.
Adde; nec emineant plebeii ſigna doloris,
Undique ſingultus dum, gemituſque ſonant.
Nempe jacet WILLHELMUS, obit ſpes ſola Britannûm,
NASSAVIÆQUE domus magna columna ruit.
Non potuit Fati rabidum ſedare furorem
GLOVERNI, & MARIÆ mors properata nimis?
Sævit adhuc Lacheſis, tria regnaque vulnerat ictu,
Dum tria de miſera gente tropæa refert.
Quis Gallo imperii fines determinet æquos?
Quis ſceptra Auſtriaco reddat Ibera Duci?
Ille diu Europæ clades miſeratus inultas,
Afflictæ ſubitam ferre parabat opem.
Angliaci vindex ultorque futurus honoris
Inſtituit, Lodoix perfide, bella tibi.
Inſtituit: ſed fata novis conatibus obſtant,
Solaque jam tanti nominis umbra manet.
Quos tibi, magne heros, fingebam mente triumphos,
Si Parcæ ſinerent ſtamina ſera trahi?
Flandria, Steenkircuſque, & bis dejecta Namurci
Mœnia materies carminis ampla forent.
Verum ah quam ſubito rerum convertitur ordo!
Quem canere optavit, jam mea Muſa gemit.

At quales gemitus, fundit quos Anglia queſtus,
  Belgiaque, auſpiciis utraque tuta tuis?
Luget terra duplex ingentis conſcia damni;
  Statorem hæc, Regem plorat & illa ſuum.
Hei mihi! quis populos poſſit firmare labantes?
  Borbonidæ quis nunc obvius ire minis?
At fruſtra querimur; jam ſiſtit Muſa querelas,
  Lætior atque hilares gaudet inire modos.
WILLHELMUS licet ad patrium remearit Olympum,
  Cumque ſua MARIA ſceptra ſuperna gerat:
Succedit tamen imperio non degener heres,
  Et ſimili Britonas Femina laude reget.
Majorem nequeunt terris concedere Regem;
  At ſuffecerunt aſtra benigna parem.
ANNA capit regnum, meritis & ſanguine regno
  Proxima: Walliaci ſpem rapit aura levis.
Cum pietas magni WILLHELMI effulget in ANNA,
  Anglia WILLHELMUM vix obiiſſe putat.
Vos modo, qui ſummis regni de rebus initis
  Conſilium, patriæ quicis amor unus ineſt,
Nectite concordes animos: nova ſurgit ELISA;
  Ignibus ardebit claſſis Ibera novis.

Joh. Dearle, Coll. Emman.

ANGLIA vicino dum vectos æquore Celtas,
  Abreptas ſociis dum quereretur opes;
Effudit lacrymas, & nuncia verba doloris,
  Nec gemitum eſt natis auſa regare ſuis.
Quid Tibi defuncto facient, GULIELME, Britanni,
  Si ploret caſus lacryma juſta leves?
Crede mihi, in ſtatuas jam convertemur eburneas:
  Sed tamen & lacrymas flebile fundit ebur.
Quod ſi mutatis Regina arriſerit Anglis,
  Quilibet argutus, Memnonis inſtar, erit.

Tho. Babington, Aul. Clar. Commenſ.

IN

IN tenues GULIELMI iret cum ſpiritus auras,
Tales profundit lingua languentis ſonos;
Ne votis averte meis, precor, ora, Deorum
Quiſquis Britannis blandior Tuis faves.
Da, Britonum infectas quod res in morte relinquo,
Regina cœptis adſit ut præſens meis.
Ut frangat Lodoici iras, atque arma Philippi,
Et priſca noſtræ reddat Europæ otia.
Non eſt triſte mori: ſed letho triſtius hoc eſt,
Quod dextra tantum noſtra non demat malum.
Quid Tibi ſolvetur meritis pro talibus, heros?
Quid conſulenti in morte regnorum bono?
Tales, crede mihi, morienti optavimus horas:
Cui ſic peracta eſt vita, ſic debet mori.

Joh. Fountain, Aul. Clar. Commenſ.

Ad Reginam.

DICITUR Aſſyrii poſt mortem Femina regis
Adjunxiſſe urbi mœnia celſa ſuæ.
Dulcia vicinæ pacis dedit otia genti,
Perſia nec reducem mallet habere Virum.
Fama Semiramios taceat tamen iſta labores:
His majora tua ſunt peragenda manu.
Non erat ante domandus Iber, non Gallia, quam Tu
A tanto efficeres tam bene cœpta Viro.

Gul. Aſton, Aul. Clar. Commenſ.

ERGONE ſit ſemper flendum? nec deſinat unquam
Angliacos ſævi premere inclementia Fati?
Siccine, cum friget nondum GLOVERNUS in Urna,
Funereos iterum ritus, & juſta paramus?
Heu! miles duris gemebundus languet in armis,
Dum Bellona fero per turmas intonat ore;
" Noſter ubi GULIELMUS abit? cur prœlia liquit,
" Hoſtiles cujus Nomen metuere phalanges?
" En plaudit Lodoix! en Gallica turba triumphat!
" Non ita, ſanguineis olim cum Boynius undis
" Erubuit; non ſic, diro percuſſa fragore
" Mœnia cum magni ceciderunt alta Namurci.

Dilaniata

Dilaniata comas ſub rupe Britannia plorat,
Inſolita tumidum ſpargens ſalſedine pontum:
Carum redde mihi GULIELMUM, clamat at Ille
Nec miſeros audit luctus, triſteſve querelas:
Victima nempe jacet Princeps inamabilis Orci,
Cujus ſub clypei placida requievimus umbra,
Mollia tranquillæ celebrantes otia Pacis.
Dulcis lingua ſilet, quæ feſſis addere vires
Invictas potuit, timidaſque accendere mentes.
Atrox at fruſtra telum Libitina paravit;
Haud etenim tumulo ſuccumbunt nomina Regum,
Fama nec Herouni marceſcit vulnere lethi.
Scilicet hoc ſenſit pluſquam mortalia ſpirans
AURIACUS, ſuperaſque celer diffugit ad arces:
Conjugis agnovit formam lætata MARIA,
Illuſtremque virum niveis amplexa lacertis,
" Gratus ades nobis, inquit: pro mille periclis,
" Jam tandem accipies vitæ immortalis honorem,
" Pondere terreno, curis gravibuſque ſolutus.
" Amplius haud veſtram turbabit rauca quietem
" Buccina, nec belli rabies, pelagive timores:
" Hic tamen aſpicies Britonas, quos ANNA gubernat.
" O populus nimium felix (bona ſi ſua nôrit)
" Quem Mars defendit cœlis, terriſque Minerva!
Dixit; & auſpicium firmavit ſtella coruſcans,
Æmula quæ Phœbi miro ſplendore refulſit,
Omina lætitiæ præbens optata futuræ.
ANNA tenet ſceptrum, ſoliumque aſcendit avitum;
Ingens ANNA decus; triplicis ſpes unica regni;
Noſtros ſola poteſt quæ conſopire dolores,
Et ſiccare genas lacrymarum flumine merſas.
Salve igitur, gentis columenque ſaluſque Britannæ;
Ter ſalve, Regina, tuo gratiſſima Camo:
Te veniente, iterum ridemus, & Anglia læta
Vultum tollit, adhuc nimio mœrore gravatum.
Sic poſtquam Hippotades juſſu Junonis iniquo
Tentârat ſubitam Iliacis inferre ruinam;
Mulſit Neptunus ventos, nimboſque minaces,
Blandaque convulſo fecit bonus otia Ponto.

Ric. Foſter, Coll. Chriſti.

OMNIBUS una dies lethi eſt; & ſtamine eodem
Rex ſervuſque vident Parcis ſua tempora duci:
Nec capiti ſacro didicerunt parcere Reguin
Heu! fruſtra obſtanti, temeraria fulgura, Lauro.
Tu, WILLHELME, jaces; Tu vita ſaluſque Britannis:
Nec tua defendit virtus, nec vota Tuorum.
Aſpicis? invictas læta inſtruit Anglia turmas;
Et domitum exſultans pandit ſua vela per æquor.
Aſpicis? Europa effulgens ultricibus armis
Te, WILLHELME, ducem exſpectat, ſignumque triumphi.
Quin & Fama tubam parat; & tibi Gloria ſummo
Deſuper inclamat cœlo, ſtimulatque morantem.
Heu fera Fata vetant! naſcentes invida palmas
Mors premit; & tenebris radiantia tempora cingit.
Anglia, quid turmæ proſunt? quid in æquore claſſes?
Quid vires, Europa, tuæ? ſine Cæſare robur
Amiſere manus; & tela imbellia languent.
Rex obit. Anglicas quo nunc ducente catervas,
Gallorum exuviis bello redeamus onuſti?
Rex obit. Imperii rebus Regina ruentis
Succedit, nec Rege minor. Clementia cœli
Reſpondet votis. Fatorum eluditur ictus;
Et nova dona Deûm Naturæ damna rependunt.
Anglia ſacra Jovi, firmis radicibus hæret;
Nec ventos, pluviaſque timet: cui vertice ramus
Aureus, æterno ſplendens efflоret honore:
Illum ſi cœli rabies effregerit; alter
Succreſcit damno, & ſimili nitet uſque metallo.
Salve, ſancta Parens; de Te, ceu fonte perenni,
Exoritur proles, nullis obnoxia fatis.
Immortale genus Regum eſt. Sic Thameſis altum
In Mare quotidie properat labentibus undis,
Et ſeſe Oceano perdit; nec perditur unquam
Ipſe tamen, ſemperque fluit mutatus & idem.

S. Hales, A.B. C.C.C.

Ἱλερμῦ

Ἱλερμῦ νεῦ, Μῦσα φίλη, μάρην οἰκλεὴν ἄεισε,
Ἱλερμῦ βασιλῆϙ, ἐπεὶ θάνεν ἔξοχϙ ἄλλων
Πάντων, οἵ κεν πρόσθε Βρεταννίδα γαῖαν ἔχεσκον.
Ὦ βασιλεῦ, μέγα χάρμα τεοῖς, ὄφελός τέ ποτ' Ἄγλοις,
Ὤχεο; σεῖο δὲ πότμον ἐπαυάζουσιν ἄνακτες
Πάντες, ὅσοι γῆν Εὐρώπην καλλικοιρανέουσιν.
Λωϊσίῳ δ' ἔκπαλϙ ἀταθάλῳ αἰὲν ἐύχθης,
Πᾶσί τε δυσμενέεσι, φίλοις πάντεσσιν ὄνειαρ.
Τῷ δὲ σὲ τεθνάμενον μεγάλως σεναχέσι Βρεταννοί·
Τίς γὰρ νεῦ πολέμοιο μιαιφόνα ἔσσεται ἔρχϙ;
Τίς δὲ μὴ πρώτοισι μαχεῖται; τίς θεσσυὺς ὕτως
Λαὸς ὀτρυνεῖ χαλεπὸν ποτὶ μόχθον Ἄρηϙ;
Ἀγλιάδαι πάντες δολιχὸν τόδε πένθϙ ἔχοιεν,
Εἰ μὴ σκῆπτρον ἔλοι μέγα φῶς Βρεταννίδϙ αἴης
Ἄννις, κληρονόμϙ διαδήματϙ, ἠδὲ κὴ ἀλκῆς
Ἱλερμῦ· περπίδεσι δ' Ἐλίσης ἐσὶν ἀμείνων.
Αὐτὴ πᾶσι κακοῖς ὀδυνήφατα φάρμακα πάσει,
Καὴ πάλιν ἐμπνήσϙ λαμπρῷ πυρὶ νῆας Ἰβήρων,
Μαρναμένη ἐνὶ Πόντῳ ἐναυλίαι Βορβονίδαο.
Τὔνεκα νεῦ συγερῆς φαιδρῇ παυσώμεθ' ἀνίης,
Κῦδϙ ἀείδοντες κὴ σώφρονα θυμὸν Ἀνάσσης.
Χαῖρ' ἀγαθὴ βασίλισσα, κὴ Ἱλερμοῖο θανόντϙ
Μνώεο, δηθὰ δὲ κεραῖνε φίλα φρονέστατα Βρεταννοῖς.

Jac. Sadler, Coll. Emman. Alumn.

Dum fraudulentus limina Ludovix
Jani recludit, dum populos movet
Ad arma ceſſantes, ad arma,
Imperii precioſus emtor:
Vellem decoro pulvere ſordidos
Duces; & acri Marte per agmina
Ferrata tendentem canoris
NASSAVIUM celebrare chordis.
Vellem triumphos dicere nobiles;
Pingueſque campos ſanguine Gallico;
Arceſque dejectas Namurci
Rupibus impoſiti tremendis.

Sed

Sed luctuoſi carminis ordinem
Poſcunt cruento læta negotio
  Fata; & reluctantem nefandos
    Muſa jubet renovare planctus.
Tuque o Britannis ſemper amabile,
WILLHELME, nomen, jam Superûm choris
  Adſcripte, quos inter recumbens
    Purpureo bibis ore nectar;
O magne, ſi quid forte ſuper tuis
Curæ ſepultus ſolicitæ geris,
  Inviſe dilecto ferentes
    Exequias tumulo Camenas.
Tuis videbis laudibus impares
Pallere vates. Pars ad originem
  Recurrit, ingenteſque luſtrat
    Stemmatis Auriaci Penates:
Per quos ſecundis Belga laboribus
Crevit, catenam non docilis pati;
  Juſtoque devicti triumpho
    Purpurei cecidere Reges.
Hic fulminantis prœlia Cæſaris
Majore plenus numine concinit,
  Equoſque, curruſque, & frementum
    Scuta virûm, galeaſque centum
Perfoſſa telis. O quoties manu
Pugnax tremenda Borbonii domum
  Concuſſit, infidoſque Gallos
    Angliacis opibus refregit?
En vultus hoſti ferreus aſpici;
En quam feroci proruit impetu,
  Contra ruentes dum cohortes
    Fulmineum remorantur enſem.
Sed quid cohortes innumerabiles
Contra ſonantem Cæſaris ægida?
  Per tela, per rupes, per ignes
    Expediet ſua ſigna victor.
Verum o! quid hæc ingrata revolvimus?
Omnis Britanni nominis occidit
  Fortuna, Plutonis WILHELMUM
    Indomitæ cohibent catenæ,
Ingens tropæum. Proh patria, & domus
Antiqua Divûm! ſiccine Jupiter

Ter-

Terraſque, mortaleſque turmas
Imperio regit unus æquo?
Cedunt frequentes illacrymabili
Heroes Orco; nec populi preces,
Virtuſque derivata cœlo,
Eripiunt Acherontis unda.
Dum nos ſalubris progenies luti,
Oblivioſæ pectora inertiæ
Devota, vix tarda ſenecta
Emeriti fugimus ſub auras.
At o! Deorum quiſquis amicior
Anglis, ruenti parce Britanniæ;
Tuere Reginam, nec ultra
Cæſareas jaculeris arces.
Aut ſi ſepulcri ſæva neceſſitas
Placata nondum ſanguine Principum;
Peſtes, & inſanas ruinas
Borbonios agat in Tyrannos.

R. Antrobus, A. B. C. S. Pet.

ERGONE nec virtus GULIELMUM, nec ſua ſervat
Languentem laurus; ſed & hæc morientis in ægris
Temporibus marcet, toties quam fulmina Belli
Tranſivere, nec hoſtiles læſere catervæ,
Seu, Bovinda, tuas ſignaret ſanguine ripas,
Seu, Namurca, tuis impingeret agmina muris?
Quid poterat primis ſenſit Lodoicus in annis;
Firmaque ſurgentem GULIELMI terruit ætas,
Debuit & ſenſiſſe ſenem: ſed ſtamina Regum
Diſpenſant triplices non æqua lege Sorores.
Vivit in Europæ pœnas, regnatque Tyrannus,
Et dat regna ſuis; cum debellare ſuperbum
Qui potuit, commune ſuis, & fœdere junctis
Præſidium, miſero rapitur Naſſovius orbi.
Nil Lacheſis crudelis agit; poſt fata WILLHELMUS
Militat, & charis nunc dirigit arma Britannis,
Gallorumque ſuos ut placent ſanguine manes
Imperat extremum: Sic, inquit, fœdera nuper
Rupta luat, ſpernatque datos ſibi Gallia fines.

Quis tumulo, GULIELME, Tuo non qualia poſſit
Munera fert, lacrymaſque, roſaſque & florea ſerta;
Cum Tibi debetur quod poſſit flere ſuperſtes
Anglia, quodque Tuum poſſit decorare ſepulcrum?
Hoc etiam, ſolium quod proxima fulciat ANNA,
Cui dulces Muſæ, cui ſancta Eccleſia curæ,
Hoc totum, GULIELME, Tuum eſt.
O Regina, Parens patriæ melioribus, opto,
Nunc facta auſpiciis, quam flebilis ante GLOVERNI,
Cum Regno arcanos etiam Tibi credere ſenſus
Suſtinuit moriens, ægros dum ſpiritus artus
Vix regit, ANNA, Tibi quas ſacro federe gentes
Conjungas, quo quidque modo fugiaſque feraſque
Edicit: " Plures licet importuna triumphos
" Invideant mihi Fata, Tuis, quos cerno futuros,
" ANNA, fruar, ſuperas veniet cum lætus ad oras
" Nuncius, Hiſpanos verum ſibi poſcere Regem,
" Præſcriptoque iterum cohiberi limite Gallos.
" Tu quæ Borbonium (quantum mutata!) tyrannum
" In tua Regna capis, quod nunc ſibi Gallia ſpondet
" Olim affectabas, Hiſpania; donec in ignes,
" Verſa claſſe, tuum minuit Regina furorem:
" Felix omen erat; quantumque Philippus Elizam
" Hiſpanus timuit, tantum nunc Gallicus ANNAM
" Formidet, rapto, Lodoix quod poſtulat, auro.
" Huic *Dracus* & *Sydneius* erant; fidique miniſtri
" Sunt Tibi *Churchilli*, Fratrum par nobile, quorum
" Alter per terras, alter Tibi vincat in undis.
Sic fatus cognatum alacer conſcendit Olympum,
Et Tibi ſecuros mandat, Regina, Penates;
Non aliter quam ſi Batavos, vel Hibernica quondam
Regna petens, placidæ commiſit ſceptra MARIÆ.
Qualis NASSAVIO gratatur in æthere Divûm
Circumfuſa cohors, inter quos, ANNA, renidet
Et Tua progenies, ipſi ſpectanda Deorum
Concilio; tali ſtudio plauſuque ſecundo
Terra ſonat, reboat cœlum, dum læta triumphat
Anglia, quod penitus non ſit deleta, cadente
Hectore, quodque novam conſervet Femina Trojam.

Tho. Pilgrim, Coll. Trin. Alumn.

Κλαίσε Ἀγλιάδαι Ἱλερμὸν, κλαίσε Βέλγαι,
Νυνὶ γὰρ ἀμφοτέρας κοινὸν ἐπῆλθε κακόν.
Τίς γὰρ νεῦν Λοδοΐκ' ὀργὴν πνείουσα δαμάσσῃ;
Τίς Νίκλαν Βέλγαις, ἢ Βρεττανοῖσι φέρῃ;
Τοῦτ' ἦν Ἱλερμοῖο μόνα· ἀτὰρ ὤλετ' ὀπηδῶ,
Πᾶσί τ' ἐφῆκε γόον, κάρμα δὲ σοὶ, Λοδόϊξ.
Ἀλλὰ τί τὰ χαίρῃ; ἡμῖν γὰρ ζωὸς ἐν Ἄννῃ,
Ζωὸς ἐν Εὐγενίῃ Κελτογόνοισι μένῃ.

J. Willis, A. B. Coll. Regal. Soc.

INCIPE, & effuſos Elegeia ſolve capillos,
Et ſpargat vultus cana favilla tuos.
Conde caput, viridi ſpatiare obſcura ſub umbra,
Nudaque fulminea pectora tunde manu.
Triſtia lugemus GULIELMI funera functi,
Cui nunquam ſimilem terra Britanna tulit:
Sive metat ferro turmas, & dura fatiget
Prœlia; ſeu populis det pia jura ſuis.
Quid juvat infernam cæſis oneraſſe carinam,
Si Phlegethonteas viſere reſtat aquas.
Fata bonos rapiunt, tranſit mors dira ſceleſtos:
Milvus abit, placidas rete prehendit aves.
Vivit, & optatas perdit zizania meſſes,
Cum roſa deciduis languet odora comis.
Ah piget ah lætos plauſus meminiſſe, videbat
Cum primum vultus Anglica terra tuos.
At jam pulla omnes (eheu) toga veſtit, & hærent
Nubila fœdatis pulverulenta comis.
Aſpice, ut invalidis graditur Mars ſævus in armis!
Languidus ut pigros pulvere verſat equos!
Non jam ſanguineum torquet Bellona flagellum,
Non fodit hoſtiles haſta retuſa manus.
Nec minus en functo Pallas confuſa clienti
Plangit, inornatas dilaceratque comas.
Flevit ut ereptam pubes Trojana Minervam,
Sic te Palladium terra Britanna ſuum.
Oſſa, precor cineresque ſacri requieſcite in urna
Intacta, & molli membra tegantur humo.
Parce tamen lacrymis, Elegeia flebilis, Illo
Haud minor in viduum labitur ANNA thronum.

Sic

Sic quondam auricoma divulſo ex arbore ramo
In vacuum ſubiit virga ſecunda locum.
Tu clypeum, REGINA, tuis, Tu ſola ſalutis
Ancora, Tu patriæ lux columenque tuæ.
Te Duce, quis bello claros horrebit Iberos,
Quoſve rigat lymphis Sequana pura ſuis?
Tu late infidos ſternes per gramina Gallos,
Stravit ut Argolicos Pentheſilea duces:
Stravit ut hoſtiles furiali cæde catervas
Hoſtia qui rabidæ jam jacet Ipſe neci.
At tu vive diu, melioribus utere fatis,
Et ſera Elyſios intuearis agros.
Anglia jam ſatis heu regali funere dudum
Mœſta luit Caroli fata pudenda ſui.
Mitte igitur rabiem, falcem depone cruentam,
Pone modum Furiis, trux Libitina, tuis.

Johan. White, Coll. Div. Johan. Alumn.

Loquitur Anglia.

NONNE datum ſatis eſt Libitinæ? ſolane poſſunt
Placare incenſos Regia ſacra Deos?
Vix tandem lacrymas abſterſimus ore tepentes,
En, nobis lacrymæ jam rediere novæ.
Quid meus in vos NASSOVUS committere tantum,
O ſuperi, aut Britones quid potuere mei?
Qualis nunc rerum facies! heu quanta malorum
Ingruit in noſtrum turba proterva caput!
En, Lodoix modo qui, quamvis inhoneſta, rogavit
Fœdera, nunc animos ſumit ad arma novos.
Nempe anima illius validos hinc fortius ignes
Concipit, & fato fit rediviva meo.
Et vereor, ne plus Tua mors, GULIELME, doloris
Det mihi, lætitiæ quam Tua vita dedit.
Sed ſubit ANNA mei ſpes ingens altera regni;
Dumque queror, luctus comprimit ANNA meos.
Quam pia! quam patriæ Mater! longum, oro, ſuperſtes
Ut ſit, & Angliacis gaudia longa ferat.
Sic potero quanquam ſævis ignoſcere Parcis,
Si petat Hæc ſuperos non niſi ſera ſuos.

Nutkins, Coll. Regin. Alumn.

TAM

PARENTAT, & GRATULATUR.

TAM ſubito tam adverſa ſibi ſuccedere fata!
Una dies Regem ſuſtulit, una dedit.
Gens dilecta Deo, tua quæ per vulnera creſcis;
Naſcitur ex læſo noſtra MINERVA JOVE.

Tho. Tillſon, A. M. Aul. Kath. Soc.

ERGONE Cæſareis toties Libitina triumphis
Exultas, crebroque avellis funere ſtirpem
Auguſtam, crudiſque addis nova vulnera plagis?
O Superi, Parcæque, & inexorabile Fatum!
Cur toties raptos viduata Britannia Reges
Ingemit, & Jovis implacabilis incubat ira?
Cum diris lacerata odiis Europa fatiſcit,
Sanguineaſque faces ſpargit feralis Enyo,
Sævaque turbatum vexat Diſcordia mundum:
Qui potuit belli inſanos compeſcere motus;
Qui potuit Lodoici iras ultricibus armis
Frangere, & e ſolio ſævum turbare Tyrannum;
WILHELMUS, morbo, fatoque occumbit inerti.
O ſi contigerat mediis cecidiſſe triumphis,
Boinia cum ſacrum rapido imbibit amne cruorem;
Boinia fumantes quæ volvit in æquora fluctus,
Hoſtilique tumens undavit ſanguine ripas.
Suevica ſic virtus generoſo efferbuit æſtu;
Germanaſque Aquilas miles calcavit Adolphi:
Sanguinea cinctus lauru, palmaque potitus
Ipſe cadit Guſtavus, in ipſa morte triumphans.
At cur NASSAVIIS inſultas Gallia buſtis?
Cur noſtro erigeris damno? cum prœlia campis
Flandriacis movit WILLHELMUS; fletibus ora
Sanguineis maduere, & tetro ſquallida luctu:
Teſtor Ameronæ cædes; Utreca catervas
Teſtatur fuſas; & te, Condeie, fugato,
WILLHELMO laurus, cumulataque gloria crevit.
Quo rurſus rapit ambitio, & veſana lubido?
Cur, Lodoice, paras captivo vincula mundo?
Irrequiete ſenex, ſaxum revolubile volvis,
Atque Ixioneæ captas ludibria nubis.

Nec ſolum propria nutris in pectore peſtem,
Imbuis at tetro juvenilia corda veneno,
Fecundiſque malis: qui, cum te Fata repoſcent
Ad pœnas; monſtrata prius veſtigia luſtrans
Federa pacati rumpet ſocialia mundi,
Inſtaurans veſana, ſed infelicia bella:
At Phaetonteo furioſa audacia fato
Corruet, & miſer in mediis cadet hoſtia flammis.
Spernimus aſt impune tuos, Lodoice, furores,
Imbelleſque minas; jam transfuga Gloria partes
Deſerit, Eugeniique virentem in vertice palmam
Figit, & Auſtriacis felicius inſidet armis.
Eripitur terris WILLHELMUS, & emicat aſtris
Jam patriis, & ſceptra ſorori tradidit ANNÆ
Feminea tractanda manu. Spondere licebit
Auſpiciis, Regina, tuis felicia ſecla:
Agnoſcunt mite imperium Neptunia regna,
Et tellus ſubjecta tuis famulatur habenis:
Ultrices horret Lodoix truculentior iras;
Nutantique timet jam fracta Hiſpania ſceptro.
Sic olim cum ſceptra Britannica geſſit ELIZA,
Borboniæque domus, & vires fregit Iberi,
Firmavitque ſui fortunata otia Regni.

Gul. Powell, Coll. Div. Joh. Alumn.

CUR triſtes lætæque ſimul ſua dona Camenæ,
Flebilibuſque ferunt gaudia juncta modis?
Nempe dolent, quoniam geſſit qui ſceptra WILHELMUS
Dextra, qua nemo geſſerat ante, cadit.
Et pariter gaudent, quoniam ſubit ANNA WILHELMI
Magnas, quæ poſſet ſola ſubire, vices.
Regem tot fruſtra caſus ſuperaſſe putarem,
Reginam vellent ni ſupereſſe Dei.
Ille paravit opes bello, regit illa paratas;
Et dare quæ voluit vulnera, certa dabit.
Inde futura Ducum Lodoix trepidavit ob arma:
Hinc, modo quæ timuit, ſentiet arma Ducum.
Sic dum ſanguineus mortem minitatur Achilles,
Fertur & in pavidos Hectoris acer equos:

Æacidæ

PARENTAT, & GRATULATUR.

Æacidæ ſua Pallas adeſt, & dirigit haſtam,
Æacidæ nubes dum tegit atra caput.
Contra Semideumque Deamque ſtat æmulus Hector
Nequicquam : ille parat tela, ſed illa necem.

J. Brodrick, Coll. Regal. Commenſ. ad Menſ. Soc.

Gothofrido Knellero Equiti Aurato.

O Calami *Knellere* ſciens, neque *Cous Apelles*
Cui neque par *Zeuxis*, ſive actos Marte triumphos
Atque equitum turmas; ſive ora ſimillima veris
Exprimis; ingenii felix age pollice gnaro
Expedias mœſto ferales ordine ſcenas.
Interea dum tu ſuccos, argute, potentes
Fundis, & artifici diſtendis arundine fucum;
Da mihi, Phœbe pater, ſic pleno flumine carmen
Exundet, parilique fluat mihi vena tenore:
Tum *neque me* vincet numeris *Rhedycina* canoris,
Sit licet illa lyræ ſolers, ſit Apolline felix,
Et quamvis faciles plectrum indulſere Camenæ,
Et teneras voces, & verba cientia fletum.
Cæſarei imprimis quaſi conſcia nubila fati
Nigreſcant, furviſque premens Nox incubet alis.
Tum pullata cohors, nigræque ſimillima Nocti
Demiſſo incedens vultu, greſſuque modeſto
Vel Gallo miſeranda manus, comitetur honore
Relliquias mœſto; dum tædæ triſte micantes
Obſcœnos ſpargant ignes, & debile lumen.
Quin audi, obnixis ſubeat dum triſte feretrum
Mœſta phalanx humeris, memor eſto poplite flexo
Genua labent, onerique impar prope victa fatiſcat.
Dein pronis armis, & verſa cuſpide turmæ
Martia ſacra ferant, *Cæſar*, Tibi pignus amoris
Exiguum ingentis: nam ſi loca læta tenebunt,
Si Te læta tenent; nobis tua triſtia, nobis
Funera *ſunt* miſeris, & *erunt* quoque triſtia nobis.
Hic delecta manus, (cui circum tempora lauros
Inter honoratas ſe fundit mœſta cupreſſus)
Cæſaris arma ferant, magni munimina quondam
Principis, ignavi nunc ornamenta ſepulcri.

Immemor

Immemor armorum juxta Veteranus inermi
Diſcingat lateri gladium, clypeumque ſiniſtræ
Exuat, atque haſtam telluri infigat inertem;
Dum vero ex oculis furtivo guttula lapſu
Depluit, irriguos deducta caſſide vultus
Obtegat averſa facie, ne *Gallicus* hoſpes
Cerneret, aut riſu ne forte illuderet hoſtis.
Parte alia ingentem deciſis undique ramis
Conſtituas quercum; & magno ſuper indue trunco
Cæſaris exuvias, bis ſex thoraca petitum
Perfoſſumque locis, & iniqui ponderis haſtam,
Sanguine rorantes criſtas, gladiumque feracem
Exitii; & multa fecundas morte ſecures.
Olim fors & erit, ferri venerabile pondus
Dum videt attonitus, fixiſque uſurpat ocellis,
Horeat ut viſu *Gallus*, memor ante malorum
Solicito renovetque metus ſub corde priores.
Tigris uti Lybicis campis cum forte Leonis
Viderit exuvias, aut caſſum luce cadaver;
Contremit ut prius, & concreto flumine ſanguis
Stagnat iners, magicumque exurit pectora frigus.
Verum age, nec procul hinc magnum erige *Mauſolæum*;
Arma ferant poſtes, fictiſque oſtende columnis
Spirantem *Regem*; ſimulatas evomat undas
Boyna, iterumque rubens, & multa ſtrage repletus
Eluctetur iter: moriens oſtendat hiulcas
Ore cicatrices *Gallus*; *Torvillus* aduſtus
Stabit, & ardeſcant falſis freta lucida flammis.
Adde urbes domitas, quas inter pone *Namurcum*,
Pone, ſed auguſtas tradentem vertice turres.
Interiore loco, medio ſub fornice *Regis*
Relliquias ponas, *Portlandus* fidus Achates
Queis ſuperincumbat, charaſque tenacibus ulnis
Implicet exuvias — lacrymis vide, *Pictor*, obortis
Ut maculas tabulam! dudum manus ægra laborum
Contremit, & tremula confundit arundine ſuccos.
Eia age nunc, *Knellere*, novo te accinge labori,
Et procul hinc parte hac, habili qua fibula nodo
Cortinam revocat, ſolio ſublimis eburneo
Regina emergens rutilante effulgeat arcu
Vincta caput; lævumque latus tegat *utraque Pallas*,
Et tegat *acciſis* dextrum Victoria *pennis*.

Ante

Ante pedes Divæ demtas de fronte coronas
Quæque ſuas tradant, *Juverna*, *Britannia*, *Thule*.
Dum vero apponis *Reginæ* ad pectora *Stellam*,
Inde novas radiis tremulis argentea flammas
Vibret, & exardens majori luce coruſcet.
Si vero ora audes, ſi Auguſtæ frontis honores,
(Hoc opus, hic labor eſt,) caveas memor uſque venuſtæ
Nil minuas formæ; roſei decor igneus oris
Dulce rubens niteat; ſit debita gratia pulchris
Interfuſa genis. Sed non imitabile regnat
Luminibus fulgur; damnabis, inepte, tabellas,
Et fucum, & calamos, victamque fateberis artem.
Porro autem *Angliacas* extende per æquora claſſes:
Sed cave ne *ſurgens* undas contriſtet *Orion*,
Nec madidus verſam reſupinet *Aquarius* Urnam.
Tum *Flotam* involvens *Bembus*, quam nuper *Havana*
Non præſaga mali emiſit, det carbaſa retro;
Et concha invectus Nereus pone ære tridenti
Urgeat impellens claſſem: ruat illa per undas,
Inſulcanſque fretum citò diffecet æquora curſu.
Sic etenim (vatem ſi veris implet Apollo)
Merlinus cecinit, "Tandem dominabitur *Anglis*
" *Anna*, virago potens armis; quæ ponet *Ibero*,
" Frena *Arari* ponet victrix; & *avumque Nepotemque*
" Eruet, & Dominam victis ſe imponet utriſque:
" Quæ non femineas turmas in prœlia ducet,
" Sed qualis, ſed quanta viris inſultat *Enyo*
" Inſtabit; lacerumque dolebit *Iberia* regnum,
" *Borboniumque Ducem*, ſceptrumque immite *Philippi*.
" En! quod ſic manibuſque humeriſque volubile ſaxum
" Protruſere, ruit retro lapſumque refertur.
" En! age, jam videor jam jamque inſtare furentem
" Cernere: ut armatas ſquallentiſque ære phalanges
" Vexat! ut everſas repetito turbine turmas!
" Itque reditque furens, dextra lævaque per alas
" Fulminat, atque acies inter crudeſcit *Amazon*.
Quo feror? an quivis Regales ordine dotes,
Aut labentis equo deſcribat vulnera *Galli*,
Aut fracta Angligenûm pereuntes cuſpide *Iberos*?

Nicolaus Penny, A. M. Coll. Regin. Soc.

TEMPESTAS noſtro deſæviit horrida cœlo,
Omen ſeveri Numinis;
Venitque immani ſonitu diffuſa per auras,
Et perculit Britanniam
Tertia jam clades: ſed & hic agnoſcimus iræ
Attemperatæ fulmina;
Vulnera diviſit, quæ non cumulata tuliſſet
Cervice quamvis ferrea.
Stamina nunc credit vulgaria ducere Parcas,
Tenuiaque fila Regibus,
Cum poſitus tumulo jaceat decus illud & ævi
Et Albionis unicum
WILLHELMUS, genus Heroum, quo vindice terræ
Se ſoſpites & liberas,
Præſentemque Deum ſibi Belga agnovit & Anglus.
Quo te feremus carmine,
Cui neque per noſtras accedet gloria laudes,
Numeroſque vivaces parum,
Nec decus abradent labentia tempora, nedum
Morſu maligno deteret
Livor, & intactas tinget rubigine lauros?
Quo non feremus carmine,
Per quem parta ſalus, per quem ſervata tenemus
Templa, & Penates integros?
Cui luces hilares, & opimæ munera pacis,
Plenoque cornu Copiam,
Dum procul hinc litui ſtreperent, & bella beatam
Circumtonarent Inſulam,
Otiaque innocuæ carpunt quæcunque Camenæ
Inter receſſus liberos,
Debemus, dextræ memores Victricis; & illud,
Levamen ingens luctuum,
ANNA quod Angliacum, populis mirantibus, Orbem
Sceptro potenti temperat,
ANNA decus patriæ, jam non trepidantis, & ingens
Columen labantis imperî?
Quæ ſimul effuſas ſolio collegit habenas,
Ut poſt labores Delius
Cum redit, & volucres currus agit altus Olympo;
Fugavit exortum jubar

Protinus

Protinus ex omni glomerantia nubila cœlo,
Et reddidit terris diem.
Jam pater Oceanus circum horrida saxa frementum
Componit iras fluctuum,
Agnoscens meritumque decus, Dominamque potentem;
Studioque multo blandiens
Subvehet ipse graves per cærula regna carinas,
Mercem tremendam perfido
Portantes, piceosque ignes, & sulphura Gallo;
Qui nempe Terræ filium
Ignotum demens ausit miscere Stuartis,
Sacri pudorem nominis,
Majorumque umbris, & nostro dedecus ævo.
Et ista labes polluet
Cæsareas lauros, fraterque vocabitur ANNÆ?
Dabitque surdis impudens
Dictata Armorico de litore jura Britannis?
Jam magnus æternum, o dolor!
Dum patrios repetit cœlos, dulcemque MARIAM,
WILLHELMUS ultor exsulat.
Sed manet ANNA potens, (toties ah! sidere lævo
Fecunda, nec tamen parens.
Sed satis hæc; nostro jam parcite, Fata, dolori)
ANNA & furorem militi
Addet, & insolitas circum præcordia flammas;
Trahetque secum in partibus,
Quos Lodoix, fideique Nepos imitator aviæ
Violavit, iratos Deos;
Compedibusque ferum constringet mille Gradivum,
Fidemque Galli lubricam.

N. Mem, Coll. Regal. Alumn.

GULI-

GULIELMI III. *morientis ad Proceres Verba novissima.*

CERNITIS imbellem sub mortis imagine Regem,
Cernitis intrepidum sed mortis imagine: notus
Hospes adest Mihi Mors; iterumque iterumque cruentos
Aspexi vultus, atque oblita cædibus ora.
Testor spumantes Boynæ torrentis arenas,
Quas Ego transilii, quas nostro sanguine tinxi,
Dextera liventi riguit cum vulnere, & hostes
Altera ab adversa spondebant vulnera ripa.
Prœlia si memorem, videantur verba Thrasonis
Plausibus immeritis & inani laude tumentis:
Vos testor, comites belli, pacisque ministri,
Factorum & laudis monumenta loquacia nostræ,
Mortis ut impavidum medias animosior æstus
Impulit in turmas, quoties revocastis anhelum
Cædibus; & trepidi me non trepidare querentes
Servarem orastis meliora in tempora vitam.
Hoc amor, hoc capitis dilecti cura fidelis
Suasit; & hoc, fateor, suasisse placebat amorem:
Sed quoties animo Lodoici fama recurrit,
Quantum Marte potest, quanto plus posse libido
Excitat effrenis, cum supplex Belgia poscit
Auxilium, aut Belgis vicina Britannia, nostræ
Cedit amor vitæ patriæ superatus amore;
Qui me cunque manent acri certamine casus,
Urgent in pugnam majora pericula Regni.
Cum nondum matura virum firmaverat ætas,
Dives opum Lodoix veterano milite cinctus
Invidet incautis angusta sedilia Belgis.
Ferrea mox belli tempestas ingruit: arva
Imbribus insolitis humescunt ebria, & urbes
Tela caduca stupent: vix demum restitit una
Quæ non agnovit Dominum, sensitve superbum.
Huic licet imparibus concurri fortiter armis,
Opposui molem clypei, patriamque jacentem
Purpurei rapido texi prædonis ab ungue.
Absorptas urbes immani gutture sponte
Evomuit, virides circum sua tempora lauros
Turpiter impositæ commutans pacis Oliva.

Tu

Tu quoque (dividua quam terris omnibus unda
Separat Oceanus) terris felicior una
Omnibus, agnoſces aliquid debere WILHELMO;
Legibus obſequium veſtris dum præſtat Ierne,
Dum dominæ Oceani naves ſuper æquora vectæ
Robora non metuent madidis rivalia caſtris,
Dum referent noſtros concinna numiſmata vultus,
Dum ſacra Relligio Romanæ pellicis ora
Oblita pigmentis, fucumque exoſa doloſum
Naturale decus non fictæ accommodat arti.
Sed quid Ego hæc refero? Lodoix perjura capeſſit
Arma iterum infidus, bellique reſuſcitat iras
Sopitas. Dextra mecum bis federa junxit,
Eluſit toties inhoneſta federa fraude.
O annis utinam ſuperadderet Atropos annum,
Flandriaciſque agris iterum inſtaurare liceret
Saxonidum ſtabiles legiones, tergaque verti
Neſcia Belgarum: calido mihi ſanguine pœnas
Solveret. & ſolvet, cœlo qui talia curat
Si Deus eſt. O qui Reges & regna ſupremo
Dirigis imperio, ſi verbis conſona facta
Semper erant, pactamque fidem ſolenniter uſque
Servavi conſtans; ſi prœlia geſta tot annis
Suaſit Relligio & veri reverentia cultus;
Ne fugiant iterum perjuria miſſile fulmen,
Ne turbatorem patiare diutius orbis
Omnia miſcere, & gentes vexare quietas.
Sed Me Fata vocant; gelido mihi frigore ſtagnant
Venarum latices, & verba noviſſima fari
Vix ſinit effeti pulmonis languidus hauſtus.
Anglia chara vale. vicinis nubila Belgis
Turbine deciduo & violentis feta procellis
Impendent: eadem forſan quoque nubila veſtrum
Fracta caput feriant; communes reſpice caſus,
Junge rates ratibus, ſocias compone phalanges:
Belgia ſi Angligenis, ſi fida ſit Anglia Belgis,
Bacchetur Lodoix, ad claſſica concitet orbem,
Et conjuratæ veniant in federa gentes
Frigoribus rigidæ nimiiſque caloribus uſtæ,
Seu libet Oceano, aut ſolida concurrere terra,
Junctæ concordem vincetis, ſpondeo, mundum.

Tuque adeo decus o regni ſoror ANNA Britanni,
Sis felix. Et eris, niſi mens præſaga futuri
Decipit ominibus falſis. exordia regni
Nigrantes nimbi obducent, atque imbribus atris
Collectæ nubes: placido mox ordine menſes
Procedent, cœlumque innube reducet ELIZÆ
Tempora. Te primo majora pericula cingent.
Cum rege Heſperidum concurrit martia Virgo
Solo: aſt Heſperidum conjuncta potentia Gallis
Tecum conſertis tentabit prœlia caſtris.
Sed fruſtra. Tua Te virtus, & fida Tuorum
Pectora Te expedient curis, dum litora claſſis
Hoſtis ab inſultu rabidi robuſta tuetur,
Qualis in Oceano fluitantia carbaſa nunquam
Explicuit; qualem ſolertia nautica *Draci*
Ignibus attonito non uſſit in æquore, quanquam
Prætulit invictæ claſſis temeraria nomen,
Et maris inſolito Pater ipſe gravamine laſſus
Ingemuit, tumido fervens & ſpumeus ore.

S. White, Coll. Trin. A. B.

ERGONE mœſtis aurea currere
Nunquam Britannis fila videbimus?
Ergone ſinceros recuſat
Ire dies inimica Parca?
Intaminatos quem modo vidimus
Pulſis honores fundere nubibus,
Cur ille, cur tantum recumbit
Occiduis properatus undis?
Non iſta certe pollicitus ſuis,
Cum riſit alma lætus adorea
Inter catervas, exſulemque
Rettulit auſpiciis ſecundis
Pacem WILHELMUS. Quo reduces ſimul
Plauſu, Deorum maxima munera,
Excepit Heroem atque Pacem,
Fronte hilari, variaque fulgens
Auguſta pompa. Vidi ego, civium
Premente turba, vix bene repere
Feſſos jugales, atque tardas
Ire rotas, nitidamque vidi

Lucem

Lucem feneſtras undique ſpargere.
Io triumphe! vox populi unica
  Clamavit omnis—o triumphe
    Officioſa iteravit Echo.
Quo, Muſa, tendis? mitte diutius
His immorari; funeribus breves
  Cedunt triumphi, lubricumque
    Diva pedem fugitiva vertit.
Quin rurſus, his ſi tetrica legibus
Pax comparetur, reddite prœlia,
  Boinumque rurſus, Flandriæque,
    O ſuperi, videamus agros.
At non amore ignobilis otii,
At non choreas inter & oſcula
  Traduxit ævum, turpibuſve
    Conſenuit meretricum in ulnis
Imbellis Heros. barbiton aureum
Illis reliquit, qui facili pede
  Pulſare terram calluerunt,
    Semivira modulante turba.
Illi ſonabat buccina dulcius,
Tubæque raucus clangor aheneæ;
  Illique & hinnitus equorum, &
    Sulphureæ placuere nubes.
Quam juvit enſes cernere ſplendidos,
Et tela nulla fœda rubigine!
  Quam juvit æratas decoro
    Ordine diſpoſuiſſe turmas!
Campique honeſto pulvere ſordidus,
Sparſuſque nitro, pulchrior exſtitit,
  Quam ſi per undantes capillos
    Vis flueret pretioſâ myrrhæ.
Vos o ſodales, dicite, Principem
Pugnare, vos o queis prope contigit,
  Quanto per infeſtos furore,
    Qua rabie veheretur hoſtes.
Timore perculſi ah quoties pio
Dixiſtis? Eheu! ne temerarius
  Regem quis occidat, per agmen
    Quem patriæ violentus ardor,
Sitiſque famæ præcipitem rapit.
At ille chari ſanguinis immemor,

Sur-

Surduſque dimovit monentem, &
In medios equitavit enſes.
Teſtis Seneffæ campus, & æmula
Cœlo Namurcæ mœnia: teſtis &
Boini fluentum, Martiorum
Scuta virûm, galeaſque volvens.
At non WILHELMUS funditus abſtulit
Spes raptus omnes; tolle, Britannia,
Te rurſum, & exſulta, tenente
Imperii moderamen ANNA.
Nec ipſa, ſperes federa, Gallia,
Impune rumpi; reſtat adhuc dolos
Ultura perjuri Tyranni,
Et fidei violata jura.
Nondum MARIÆ fama ſilentibus
Mandatur umbris; pondus ut, exteras
Pugnante per gentes marito,
Imperii grave ſuſtineret.
Nondumque Romæ ut contuderit jugum,
Regiſque Iberi merſerit æquore
Inauſpicatum Eliza claſſem,
Femina Dux animoſa facti.

T. Hill, Coll. Trin. Alumn.

NUNCIA cum primum celeri jam Fama volatu
Late per pagos, & circum fuderat urbes,
Invictum Regem lugenda morte peremtum;
Obſtupuere animi, & cunctis vox faucibus hæſit:
Deficiunt gelido trepidantia membra pavore:
Pallor in ore ſedet; taliſque ea Funeris umbra,
Qualis ubi horriſonus boreali cardine ventus
Irruit in claſſem, tumidiſque immergit in undis:
Horreſcunt nautæ, & clamoribus æthera complent.
Tum demum tacito poſtquam indulſere dolori:
Extemplo juveneſque ſeneſque ſilentia rumpunt,
Et Patrem patriæ, non fictis laudibus, ornant.
Quantos ſuſtinuit pelago, terraque labores
Heros bellipotens, Gallorum terror, & ingens
Anglorum, Batavûmque decus! quo juſtior alter,
Nec pietate fuit, nec bello major & armis.

Magna-

Magnanimam tenui verſabat corpore mentem.
Non Venus, aut vinum languentes fregerat artus:
Sed raro dulcem membris dedit ille quietem,
Quin ſubito curæ; populorum vita, ſaluſque;
Pacis opus, bellique labor; communia Regni
Commoda (non ſcelerum aut factorum conſcius horror)
Ex oculis noctem, atque brevem pepulere ſoporem.
Degeneres populi mores ornare ſtudebat,
Nutantemque ſtatum gentis fulcire ruentis.
Relligionis amor puræ, ſtudiumque placere,
Et prodeſſe ſimul; tot magna negotia regni;
Borbonidum excuſſiſſe jugum tam fervida cura,
Corporis, atque animi vires domuere labantes.

Non Britonum gens una tamen, Batavûmve propago,
Pectoris imperiique ſui ſenſere vigorem.
Diverſæ gentes, alio ſub ſole calentes,
Qui patriam fugiunt, ſævique edicta Tyranni,
Heu! miſeri Galli, Germanus, Flander, Iberus,
Attollent famam, & celebrabunt inclyta facta.
Quem ſociæ gentes, communi fœdere junctæ,
Ductorem agnovere ſuum; qui vincula rupit
Gallica, nec timuit Lodoici obtundere faſtum;
Afflictæ didicit ſemper ſuccurrere Genti.

Cum non una tamen cingebat laurea frontem
Regis, qui vicit claris virtutibus annos;
Quæritur, eloquio fueritve potentior armis.
Ultima teſtantur (monumentum & pignus amoris)
Aurea, quæ docuit, magno præcepta Senatu.
Vix unquam melius *Ciceronem* Roma locutum
Mirata eſt, cum terga dedit *Catilina* rebellis.
Mente ſagax, belli paciſque imponere morem
Noverat; &, quali moderamine regna reſurgunt,
Edocuit mundum. præclaro ſtemmate Avorum
Progeniem duxit: ſed factis clarior exſtat;
Et triplicem meruit, quam non liquere, coronam.
At memorare juvat, quantis erepta periclis,
Funerea incedens mœrens Eccleſia palla
Mutavit vultum, & veſtes induta nitentes
Splendebat; poſtquam Regni ſuſcepit habenas.

Jamque placet Regis morituri verba referre.
Quantillum vitæ reſtet, cum ſæpe rogaret
Adſtantes medicos: (nobis hæc fama locuta eſt)

Continuo dixit; Non quod mihi vivere curæ eſt:
Sat vitæ, famæque datum. mortalia linquo;
Nec telum inſtantis mihi formidabile Lethi:
Sed fragiles vitæ dum ſpiritus hos regit artus,
Urget magnus amor populo prodeſſe Britanno.
Ergo novos Regi quiſquamne invidit honores?
Non moreris, GULIELME; tuum per ſecula nomen
Vivet, & æternum vives ſuper aſtra beatus.
Salva Relligione, & Libertate reducta,
Bellorum famæque ſatur ſublimia ſcandis
Mœnia cœlorum, regno meliore potitus:
Et quacunque orbis magni regione locaris,
Virtutis monumenta tuæ, paciſque triumphos
Aſpicies, & ſigna novo victricia mundo.
I, decus, i, noſtrum: meritum caput inſere cœlo;
NASSAVIÆ tam gentis honos, quam gloria regum;
Et novus æthereis accedas ſedibus hoſpes.
Verum, o magne Deus, mundi juſtiſſime rector,
Conſilium, factumque tuum in caligine volvis;
Cum Regem eximium, rebus tutamen in arctis,
Ex oculis tollis: tamen hæc documenta miniſtrat:
In te certa ſalus, tu ſpes fidiſſima Regni;
Te Duce, fulgentes poterit ſuperare phalanges
Parva cohors: prohibeſque malis ſuccumbere rebus
In te ſperantes, tanto munimine tutos.
Non Fortuna regit, nec inexorabile Fatum,
Hunc quem conſpicimus mundum. Sapientia ſumma
Vaſtam agitat molem, & rebus ſe miſcet agendis.
Credimus eſſe Deos? ſcelerato venit ab ore,
Cum virtus oppreſſa diu, aut caput extulit altum
Impietas, rapuitve bonos ignobile lethum.
Exſulet a nobis Epicuri dogma profani:
Nos meliora decent, qui ſacra Oracula cœli
Verſamus, quæ cuncta docent; ſancteque fatemur
Conſilio firmata Dei: qui legibus æquis
Imperat, & facili moderamine temperat orbem.
At Te jam canimus, quæ ſceptra tueris avita,
ANNA, ſoror, Regina, beatæ chara MARIÆ;
Inſigni pietate bonæ, & Virtutibus ambæ.
Quid non ſperabunt venturo ſecula Regno,
Cum pietas, primæva fides, animuſque virilis
Pectore Femineo, & ſinceris gratia verbis,

Tantus

Tantus amor patriæ, & laudum generoſa cupido
Aſcendunt ſolium, & ſplendentia lumina mittunt.
Jamque novum auſpiciis regnum felicibus ornas
Ordiriſque tuum: regali munere Gentem
Ditaſti patriam, populi & miſereſcere pergis.
Te digna nos prole bees, ſeraque ſenecta
In cœlum redeas: memorandæ gloria ELIZÆ
Immortale tuum Nomen per ſecla ſequatur.

Tho. Walker, S. T. B. Coll. Sid. Suſſ. Soc.

CERTARUNT belli ſtudiis par nobile Regum:
Huic fuit atque illi plurima palma Duci.
Tu tamen invitos, Lodoice, ad ſigna vocaſti.
Caſtra fuere diu Gallia tota tibi.
Legibus invictæ fecere ſilentia turmæ,
Obruit & patriam gloria multa tuam.
At te pugnantem eſt civis, GULIELME, ſecutus
Miles; & ingenuis induit arma pudor.
Anglia ſincero plauſu comitata triumphos
Lætior eſt ſpoliis liberiorque tuis.
Quam ſint diverſi victores dicite Muſæ.
Hic hoſtes & ſe vicit: at Ille ſuos.

R. Laughton, A. M. Aul. Clar. Soc.

Ad Reginam.

ANNA, decus gentis, certum pietatis aſylum,
Utraque mentem ſorte quæ geris parem;
Accipe quæ fundit Cami Gens accola vota,
Dieſpiter nobis diu te ut ſoſpitet.
Sic minus afficient dederint quæ funera crebra
Iniqua Fata, Te tuis ſuperſtite.
Aſpice ut Aſtræam reducem Leopoldus adorat,
Petitque læſæ vindicem piam Domus.
Te petit auxilium Batavus, male tutus ab hoſte,
Iberque rege nuper auctus haud ſuo.
Sume tibi indomitas vires ingentis ELIZÆ,
Propelle ſævam & gentibus tyrannidem.

Non

Non ignara mali miſeris ſuccurre; pioſque
Jugo potentium eripe, orbis arbitra.
Nec ſine ut ulterius *ſtet pro Ratione voluntas*
Vafri Tyranni, cuncta qui miſcet male.
Sentiat hic quid Marte potes; Naſſovii & umbræ
Parentet ex fuſis triumphus hoſtibus.
Actum eſt: en Gallos Batavis a finibus arcet
Churchillus acer, Italis Sabaudius.

E. Clarke, A. M. Aul. Clar. Soc.

OCCUBUISTI, eheu! *Heroum* facile *Princeps*:
Fatis ceſſiſti, ſed nimis immaturis:
In hoc ſolum Te faſſus mortalem,
Alias cedendi neſcius.
Obiiſti, WILLHELME perquam dilecte,
Plorantibus *Britannis*,
Attonitis *Batavis*,
Ingemiſcente tota *Europa*.
Sic tu omnium evaſiſti
Deliciæ, columen, tutamen.
Sic noſtra omnium cum tua una erat ſalus.
Sed Fletibus, non Encomiis
Vacet *Muſa*;
His non indiget WILHELMI nomen:
Quo enim cunque pervenit WILHELMI nomen
(Et quo non pervenit?)
Omnem encomiis præripuit anſam.
Fletus autem, & Ratio poſtulat & Pietas:
Sic piis *Manibus* extremum perſolvimus debitum,
Sic noſtros lenimus dolores.
Te autem celebrando pro meritis,
WILHELME,
Quis par inventus erit?
Quis enim vel fando memoraret WILLHELMI geſta?
Ne ſeclum ſatis eſſet ad deſcribendum,
(Vel ſi *Briarei* manus concedantur)
Ea omnia præclara molimina,
Quæ ipſe *Semiſecli* minus ſpatio,

Ad

Ad *Dei* honorem, & Orbis vere Chriſtiani commodum
Pie & ſtrenue
Sarta tecta, effecta dedit.
Nunc *Famæ* ſatur
(ſupraque)
Diis ſuperis immiſcetur,
Et *Ambroſiis* accumbit epulis.
Occidiſſe GULIELMUM,
Flebilis primo & inopinus perculit aures rumor:
Tremuit Populus.
Invaluit tandem, & obtinuit ingrata Veritas;
Tantum non una occidimus:
Conclamatum eſt,
Periimus,
Periiſti ſcilicet, GULIELME:
Statur, fletur,
Conſtupeſcimus.
Sed ANNA, ANNÆ ſacrum *Nomen*,
Sacra *Majeſtas*
Relevat, ſopit, diſcutit
Omnes dolores:
Abſtergit lacrymas:
Renovat, redintegrat, imo reduplicat
Priſtinam lætitiam.
Exſultat cor de novo,
Revireſcunt ſpiritus.
Sic ſalus revaleſcentibus carior,
Sic redemtis libertas gratior.
Deflemus WILHELMUM abreptum,
Heu nimis cito (ni ANNA ſuccederet,
Et, Dii, voluiſſetis) abreptum!
Deflere fas eſt & æquum.
Sed gaudere pariter fas eſt & æquum,
Rerum ſimul & cordium *Britannorum*
Potiente ANNA:
Idque cum magno noſtro lucro,
Quum & *Ipſam* nos poſſidemus.
Diu Te (ANNA chariſſima)
Dii nobis incolumem ſiſtant;
Nullum majus exoptamus beneficium.

ACADEMIA CANTABRIGIENSIS

Te ſalva
(Votis annue, ſumme Pater)
Salvos & beatos *Anglos* ſpondeo.
Gallia, ut prius,
Pacem poſcet;
Fietque *Dux Femina facti.*

Rob. Read, A. M. Coll. Div. Joh. Soc.

INFANDUM pia Muſa jubes renovare dolorem;
Materiam agnoſco noſtris non viribus æquam:
Quod damnum, infelix quem ſuſtinet Anglia luctum
Vox narrare nequit rudis, indigeſta, fluentes
Et lacrymæ prohibent, & anhelitus intercluſus.
Angligenûm cuſtos, Europæ publica cura
Occidit, & patriam longe fugit: ANNA, ruenti
Succurre imperio, Tua ſi Tibi & Anglia cordi eſt.
Quam neque nutantem quatiens Diſcordia rerum,
Quam neque civiles valuerunt perdere motus,
Quam non infenſi Galli, non hoſticus enſis,
Una dies delet, niſi Tu, fauſtiſſima, Gentem
Ægram labentemque tuo moderamine fulcis.
Eripe nos, Invicta, malis; dum Miles ad altum
Fulminat Eridanum, & Gallo defendit ab hoſte.
Ite boni quo vos virtus ferat, ite ſecundo
Omine, jam votis ardentibus annuit ANNA.
Immemor haud unquam veſtri NASSOVIUS heros
Reginam amplexus moribundus talia fatur;
Me mea Fata vocant: Tu perge animoſior, armis
Eluſamque fidem, læſumque ulciſcier orbem.
Dixit, & ætherias auras petit arduus Heros,
Subjectumque alto deſpectat culmine mundum,
Et nubes rerum, & jactatum turbine Gallum.

Leonard. Smelt, Coll. Jeſ. Socio-Commenſ.

ΛΑΜ-

ΛΆΜΒΑΝΕ, Γαῖα φίλη μ᾽ παλείδα γαῖαν, Ἱλερμῦ
Ὀσέα, ϗ χύφῳ γῆα κάλυπε λίθῳ.
Εἴπολέ τοι σεϱολὸν ἀϱυὴν ἀϱειμανέων Κελλάων
Ῥήξας, ἀϱχαίην δῶκεν ἐλευθεϱίην.
Εἴπολε καλὰ τεϱπαῖα φίλων οἶκόνδε Τυϱάννων
Ἦγεν, ἐς εἰϱήνης ἔϱγα μεϱχόμενϕ.
Σκῆπτϱον ὅπυ λάβε πϱῶτον, ἐκεῖ ϗ τύμβον ὀπάσσοις,
Μαϱμάϱεϕ δ᾽ εἶποι, Λαλύπε, ταῦτα τάφϕ.
Τὸ Βεϱολὸν Ἡγεμονῆϕ, ὁδοιπόϱε, σῶμα κέκευθεν
Ἥδε κόνις, Ψυχὴν δ᾽ ὐϱανὸς ἀϱὺς ἔχει.
Οὐδε πάϱος ζώοντα μετ᾽ ἀνθϱώπων ἐφίλησας,
Ἥμενον ἐν ϐυλαῖς οὐϱανίῃσι σέϐυ.
Ὡς πόλε Ῥωμαῖοι Ζωῷ βασιλῆι πίθοντο,
Τίμων δ᾽ ἀφθάϱτῳ τόνδε Θανόντα κλέϊ.

Ad Reginam.

QUALITER, effundit crebros cum Jupiter imbres,
Eripit ex oculis nigra procella diem:
Non aliter, GULIELME, ferunt Tua funera noctem,
Polluit & roſeas plurima gutta genas.
O tandem, Regina, Tuis oriare Britannis,
Et raptam Proprio lumine redde diem.

M. Ward, Aul. Clar. Alumn.

ANGLIADUM pubes jamdudum aſſueta triumphis
Vindictam, & Gallis aſpera bella parat.
Nequicquam; ille, velit ſub quo meruiſſe triumphos,
Supremum fati pertulit ille diem.
Bellorum pendent opera interrupta, minæque,
Protinus in luctus & furor omnis abit.
Torpeſcit poſitis miles fortiſſimus armis,
Damnat & invicta parta tropæa manu.
Sunt oneri laurus; nec mœnia celſa Namurcæ,
Boiniacaſque undas jam meminiſſe juvat.
WILLHELMUM deflet Brittannia, deflet in uno
Extinctam heroum Belgica terra domum.

Quin

Quin Europa etiam damno concuſſa laborat,
Et timet imperiis, orba parente, ſuis.
Quis conjuratas educet ad arma cohortes?
Quis feret afflictis numinis inſtar opem?
Quis coget Gallos, nimia ambitione tumentes,
Gentibus audaces abſtinuiſſe manus?
Cæſaris illud opus: cui mens infracta periclis,
Et prodeſſe ſuis gloria ſumma fuit.
Non illum, extrema cum oculi jam morte natarent,
Fidus in extrema morte reliquit amor.
Anxius hoc, animos ne fata inopina labantes,
Diſtrahat aut notis Gallia cauta dolis,
Nos jam nunc Belgis, quos ipſa pericula jungunt,
Bis confirmata junxit amicitia.
Debuit haud carus WILLHELMUS, & utilis orbi,
In mediis terras deſeruiſſe malis.
At ſi, dum carus WILLHELMUS, & utilis orbi,
Funera nulla forent; funera nulla forent.
Proh liceat facere immiti convicia cœlo,
Parcarumque nimis juſſa ſevera queri!
Vivit adhuc Lodoix per ſecula longa tyrannus,
Et felix multa prole ſenecta viget.
Vivit adhuc; & quem toties expalluit hoſtem,
Extincti ridet Cæſaris exequias.
Forte etiam infida Princeps mentitus in aula
Subjicere imperio non ſua regna parat.
At fruſtra immeritos fovet ambitioſus honores,
Gallorum turmis præſidioque ferox.
ANNA tenet, claro ſuccedere digna WILHELMO,
Imperium juſtis legibus ANNA tenet.
Tempus erit, magno Gallus cum optaverit emtum
Intacta injuſtis regia ſceptra modis.
Finiet Illa pari inceptos virtute triumphos;
Et bellum, & pacem gentibus una dabit.
Interea ſacris accedet gloria templis,
Florebitque almæ Relligionis amor.
Dii modo dent, magnæ ELIZÆ ut virtutibus æqua,
ELIZÆQUE annos & bona fata habeat:
Hoc uno abſimilis; cum aſcendit ad aſtra, Britannos
Sit qui Maternis dirigat auſpiciis.

Gul. Malcher, Coll. Regal. Alumn.

HOSNE

HOSNE tuos iterum renovas, Libitina, triumphos?
Et cadit ante aras victima tanta tuas?
Lactamur miseri; risit Pax alma, sed eheu!
Pellax hic risus turbinis omen erat.
Heu! GULIELME, jaces: melior te instauret Apollo:
Quam nulla herba tulit, det tibi laurus opem.
Si desint Heliconis aquæ, per amantia manet
Lumina par cunctis flebilis imber aquis.
Phœbe, cadis: placidas molli jam tractet habenas
Diva manu; currus Cynthia, sume tuos.
Hoc satis est, superi; tantum dare poscimus, ut jam
Non sit carceribus tam prope meta suis.
O quantum subiisse juvat tua Telephe, fata!
Telum quod dederat vulnera, sanat idem.

Fr. Dickins, Aul. Trin. Alumn.

In obitum Regis GULIELMI *tertii.*

GLISCERE WILHELMUS bella ubique ut audiit,
Germaniamque Belgiumque, Italumque solum
Milite repleri, Ducibus & fortissimis,
Qui vincula ut adimant, grave Europæ & jugum,
Non abnuerunt capita devovere sua;
Lætatus est Heros: sed indoluit simul,
Quod non potuerit his ubique prœliis.
Oculis adesse; & splendido frui die.
Quid ergo? cœlum scandere statuit illico,
Cuncta hæc ut inde cerneret spectacula.

Ad Sereniſſimam Principem ANNAM, *Angliæ, Scotiæ, Franciæ, & Hiberniæ Reginam.*

UNANIMES ANNAM, quamvis Scotus, Anglus, Hibernus
Reginam agnoscant, suspiciantque suam:
Francia sola negat. causa est (si credimus ipsis)
Lex prohibet Salica: & sic regit arte dolum.
Regina at pergas: titulos nam Tu quoque justos,
Quos olim HENRICUS, quos EDOARDUS, habes.

Aſſere jus armis: Regem contunde ſuperbum:
Quin Salica imprimis Lex favet ipſa tibi.
Nam cum Tu bello Lodoicum viceris; omnes
Clamabunt, Tu Mas, Femina Gallus erat.

Henricus Darby, Coll. Jeſ. Alumn.

Νωθέα κείαλο πάντα, κ᾽ ὡς ὀν νυκτὸς ἀμολγῷ,
Οὐρανίον τε κατ᾽ ἴδας, ἐπτρεφέεσι καρήνοις
Νᾶσαν λυγρὰ νέφη, Χάμοιο ϝ᾽ ἀκέτι γλαῦκα
Νηϊάδες σκίρτησαν ὑπὲρ ῥόον ἀργυροδίνην,
Οὐκ ἰχθῦς ἀπίταλλον, ἀταρ φωνήματα κύκνων
Μανυπόλων ἤειδον οἰζυρὸν π τετύχθαι.
Καί ῥ᾽ ἔο πεδιοπάδην πηγὰς μελεκίαθεν ὕδωρ.
Θαμβήσας ὀν ασῆϊ δ᾽, ὁμίλων Κοίρανος ὑγρῶν,
Βυσσόθεν ἀξανέδυ, ἀνέμων δ᾽ ὅταν ἔκλυεν αὐδῆς
Ὤλεο Ἱλερμὸς, μόγις ὀν ψιθυρίσματ᾽ ἀέντων,
Ἅψ ἀνόρουσε ταφὼν, καὶ ἐς σφυρὸν ἄκρον ἀπ᾽ ὤμων
Ὅσσος ἔην, ῥίγησεν, ἅπας τ᾽ ἀδαμάντινος ἔσκε.
Οὐκέτι ἠδὺ φόως· ἀ νεῶ ποταμοῖο μέμηλεν,
Αὐτὸν ϝ᾽ συγέει, ὅτ᾽ ἀπειρήκασιν οἱ ἵπες
Τὸν γοόν ὀκφλύξαι τόσονδ᾽, ὅσον ὀλὸς ἐέργει.
Ὀψὲ ϝ᾽ (δὴν φθόγῳ γὰ ἐπέμβαλεν ἔκμαλα πένθος)
Λοξὸς ἐπ᾽ ἀγκῶνος κλινθεὶς, ὑπὸ δάσκιον ὄζον
Ἕζετο, κ᾽ ταύτην μιῇ δάκρυσι μίσγεν ἰωήν.
Ὑσάτιον τόγε δῶρον ἐμοὶ φίλα κύματα μεῖνον
Δοίητ᾽· ἠβαιόν τι δέγμον δήσαντα σιωπῇ.
Ὅφρ᾽ ἀνέμοισι λαλῶ λιγυρῆς, τάγ᾽ ἐς ὦτα φέρηιεν
Ἀθανάτων ἐμὸν ἄλγος, ὅσον μ᾽ ἄχος ἔλαβε θυμὸν,
Ὅσον ἐνὶ Ποταμοῖσιν ἀτιμόταθ᾽ Θεός εἰμι.
Ταὶ πολιαὶ δ᾽ αὖται, τὰς ὀκ κεφαλῆς ἀπολύμνυς
Ἕλκομαι Ἱλερμῷ, κ᾽ τοίγ᾽ ἅπαρ ὀρέγει ἕσων
Ὄμβρηι ἀπειρέσιοι, ὅσσόν νιν ἐφίλαθ᾽ Χᾶμος.
Κεῖνον δεξάμεν᾽ μολπῇσι, φαεσφόρον ἄστρον,
Κείνῳ ὀπηδήσας συγερῇ διὰ μῶλον Ἄρηϊ,
Λήσομαι οὐδ᾽ αὐτοῖο κ᾽ εἰν ἀΐδαο πύλῃσιν.

Ὑσάπιον

Ὑσάτιον τόγε δῶρον ἐμοὶ φίλα κύμαλα μῆνον
Δοίηε. τεὶς τόσα φέρων κὴ πλείον' ἀπ' ἀιπύ,
Πῶς ὰ μιχρὸν τῦτο, πανύσαθον, ἀνταποδώσω;
Ἄλσεα κὴ Νάπας, ἢ βύθιας πολαμοῖο δύγαθρες
Νύμφας, Μισάων τ' ὄρνιθες δυλιχόδειρι,
Ἄλλαις πείν γ' ὠδῆσιν ἐμῦ βραχέ' Ἡελίοιο
Φάεα μηκύνοντ' ἀκύελε, πρηνὲς ὅθ' ὕδωρ
Ἔση, μειλιχθεῖσι κὴ ὔασι μῦθον ἄφυσεν.
Ἱλερμὸν ναύτῃσι πανημέριον γὸ ἄειδον,
Ἱλερμῦ πρῆσεν πᾶν δ' ἱσίον ἰκμενον ὗρον,
Ἱλερμὸς ζωοῖσι μεδήσαθ', οἱ δ' ἐνιαυτὸι
Ἀργυρέας πλερύγεσιν ὀχυρμῷοι ἦκα πολῶντο,
Καὶ γλυκερᾷ ἐγέλασαν ἀν' ὕδας ὀλύμπιον Ὦρον.
Ὑσάτιον τόγε δῶρον ἐμοὶ φίλα κύμαλα μῆνον
Δοίητ', ὑμελέρῳ πύμαλον τόγ' ἀρήγελε Παλεί.
Εἰς ἐμὲ γὸ μαιμῶσιν ἅμ' ἄλγεα, ὐδὲ χαλινὰς
Γναμπτὰς τελήκασι, νόυ τ' ἄπο ἡνία ῥίψαν
Μνησαμένῳ, ὡς ὅπποτ' ἐνὶ γνοφερῇσ' ἐκαλύφθη
Παλεὶς ἐμὴ νεφέλῃσι, κὴ ἠερφοῖτις Ἐριννὺς
Πάντοσ' ἀμαιμακέτη ἐσείχελο, ὡς τότε κεῖνο,
Κεῖνο ςῇ τε παρὲξ, κὴ ἀμύνεθ' ὅλιον ἦμαρ.
Ἦ μάλα δὴ εἰδὼς Πλυτῆο ἀπηνέα θυμὸν,
Ἐφρασάμην ὰ πώποτ' ἐπὶ κνέφας ἐλθέμεν αὖθις,
Ἐφρασάμην· τὰ δὲ πάντα Θεὸς μεταμώλια θῆκεν.
Ὑσάτιον τόγε δῶρον ἐμοὶ φίλα κύμαλα μῆνον
Δοίητ'. ὦ μάλα οἶδα κῆ φρένα, πένθεϊ λυγρῷ
Ὅσον ἔγωγ' ἐδάμην, τόσον Μώσαό γε Δαίμων
Γανυσάα, τὰ σπάσματ' ἀμειβόμενο Παιᾶνι,
Ὑδασι καλχαλέα τε λιλαιόμενο πεδίοιο.
Ἦν ὴ πάλαι βαρύγυιο, ἐὼ παλαμοῖο βαθίζοις
Ἡμενο ἐν βένθεσιν, ἐπεὶ πεπάλαχθο κεραυνῷ.
Ἔνθα γὸ Ἱλερμοῖο βίη βεβιήσαθο, ἔνθα
Φοίτασκεν κονίῃσι μιγείς· τῷ δ' αἰὲν ὀπηδοὶ
Ποίπνυον παρεόντε Φόβο, κὴ Μοῖρα κραταιή.
Ἔνθ' αὖτε τανύηκες ἄορ τ', ἀκόρητον αὐτῆς,
Ἔγχεσι, κὴ σακέεσι, βεβοῖσί τε πλῆσε ῥέεθρα.

Ὑσά-

Ὑσάτιον τόγε δῶρον ἐμοὶ φίλα κύματα μοῦνον
Δοίητ'· ἀ γὰ τοῖον ἐς ὕστερα ποιμένα λαῶν
Ὑμνήσω παρεόντα, ἢ ἀ παρεόντά γε κλαύσω
Κείνᾳ ἀποφθιμένοιο. μὰ γὰ Στυγὸς ἄπλετον ὕδωρ,
Οὐλύμποιό θ' ὕπερθε φόως, ἢ γαῖαν ἔνερθε,
Μὰ κάρα σὸν τειπόβατον, ἐμῷ πολὺ φέρτατ' ἀνάκτων,
Πείν σε γνόφον δύμεναι, ὡς ὤφελε Χάρμᾳ ὀλέσθαι.
Ἔγρεο δύσδαιμον, κυανοσόλε, χέρσ' ἀπομόργνυς
Δάκρυα, ἢ σκέδασον πυκινὴν πολ' ἀπ' ὀφρύος ἀχλύν,
Ἠρέμα κοίμησαί τε τεθαρπάμενον φίλον ἦτορ.
Ἄννα κασιγνήτοιο γὰ εἰσαναβήσατο δίφρον,
Ἄννη (ταῦτ' αἴων δὲ Γέρων ἐπὶ νοῦσε καμόντι)
Ἄννη, ἣ Χάριός τε φίλου, Χαρίοιό τε παῖδες.
Ὡς ὅτε νόσφι μάχης Πηλείδης ἦεν λιαθείς·
Τειρομένους ἄτῃσι κακαῖς ἐλέησεν Ἀχαιούς,
Αἰγίδα τ' αἶψα λάβεν, θυγάτηρ Διὸς Ἀθηναίη.

Sam. Harris, Coll. Pet. Alumn.

In Obitum desideratissimi Regis GULIELMI *Tertii.*

ERGONI perpetua serie nova damna fatigant
Teucrigenas populos? & clades cladibus urget,
Funera funeribus, nunquam satianda Britannis
Sors ferrata malis? Pueri modo flebile lethum
GLOVERNI, modo fata minus festina, sed ipsa
Ipsa etiam Diæ nimium festina MARIÆ
Planximus. Angliacos Libitina en tertia luctus
Instaurat, lacrymisque iterum exundantibus ora
Vixdum sicca madent, disruptaque triste dehiscit
Crudescitque recens & non obducta cicatrix.
Ille WILHELMUS enim (ne quid nobisve beatum,
Vel sibimet Fortuna maligna relinquat inausum)
Ille, rependebat quo tot modo regia salvo
Funera gens Britonum, cujus superaddier ævo
Debuerant caræ quotcunque abruperat annos
Uxori, magnove megârat parca Nepoti,

Ille

Ille WILHELMUS obit, votis precibuſque ſuorum
Non revocandus obit; capiti depellere ſacro
Nec potuit fatalem ictum ſua plurima virtus,
Quæque Anglis bella inſurgunt atrocia notam
Fruſtra quæſitura manum, ingentemque, columnis
Subductis, jam jamque minantia regna ruinam.
Ite igitur pia turba, frequentes ite, parique
Officio meritis damnumque æquante dolore
Extremos cineri auguſto perſolvite honores.
Et vos o Muſæ, Grantum Rhedycinaque cantu
Mœnia mulcentes Muſæ, quæ carmine læto
Ornare aſſuetæ totumque ſonare per orbem,
Inclyta ſeu rigidi tractantem munia belli,
Atque ipſo pariter Gradivo ipſaque Minerva
Edentem dignas ſtrages; ſeu Marte receptum
Confecto Angligenis, nec laude minore volentes
Tranquilla late populos ſub pace regentem:
Jam functum virtute virum vitaque, nec ultra
Facta aggreſſurum vobis memoranda, ſupremis
Muneribus decorate; jugiſque Heliconis amœni
Delectos toties flores, per ſecula flores
Victuros merito certatim adſpergite buſto.
Triſte miniſterium, ſed inexcuſabile. vobis
Sic uno, Divæ, avulſo non aureus alter
Deficiat ramus, ſimilique gerantur in ævum
Sceptra Britanna manu, quæ Gallo imponere morem,
Quæ Romam frenare queat, prolemque minacem
Tarquinii æternum profugam depellat ab Anglis
Arcibus, impuraque ſuperbi Tibridis unda
Non iterum liquidam ſinat immiſcerier Iſin,
Et Cami ſuperis gratiſſima flumina Divis.
Nam ſi oblita ſui Patroni Muſa ſileret
Funere in Auriaco; nolletque ingratus Apollo,
Quam medicis herbis ægro ſervare negavit,
Dulciſona extincto teſtudine reddere vitam:
Hunc etiam poſitis defleret frondibus arbor,
Quæque ſub hoc latos errarunt tuta per agros
Armenta, aerii montes, valleſque profundæ;
Et liquida in lacrymas ſe ſponte reſolveret æthra.
Regem etenim eximium, regem lugemus ademtum,
Quem juſto virtus expenſa examine magnis
Henricis, priſcoque Edoardûm æquarit honori.

Quid primum, quid poſtremum mirabimur? hæret
Mens incerta, pari momento & laudibus æquis
Inclinata; oculos geſtis infantia rebus
Dum trahit hinc, illinc retrahit maturior ætas,
Quam ſtupeant magis ignaros, & utramque ſtupentes.
Non etenim huic teneris quæſitum nomen in annis
Extremi minuere; nec emendavit inertem
Et cæcam illuſtris prudenſque ſenecta juventam.
Qui pleroſque ornant diviſi Heroas honores,
Huc coiere; parique effluxit tota tenore
Magnorum auſorum dives, totidemque tropæis
Vita fere decorata, quot eſt extenſa per annos.
At velut Eois Phœbus cum ſurgit ab undis
Mane, ſolet nebulis involvi hinc inde, coruſcos
Detonſus radios, velatuſque ora decora;
Mox, urgente calore, polo cedentia victor
Nubila diſpergit toto, tenebraſque reſolvit.
Sic Libertatis furtivo nomine fallens
Livor edax, ſemper præſtantibus obvius auſis,
Obduxit fugitura orientem nube WILHELMUM,
Atque ſuo Hollandas orbavit ſidere terras.
Hæc etenim de cœlo oculis Rhamnuſia ſpectans
Non æquis, Gallum Batavis trepidantibus infert
Ultorem; tardumque genus plumboque gravata
Corda ſequi meliora docet conſulta magiſtra
Clade, benignorumque Deûm felicia, genti
Nec tantum conceſſa ſuæ, non ſpernere dona.
Hinc dejecta animos bellantum turba, repleri
Hinc faciles foſſæ, fluvii tranſirier, arces
Conſcendi; celſoque minantia mœnia cœlo
More pererrantur campi, ferroque rigentes
Indomito viſæ ſe ſponte recludere portæ
Adventanti hoſti: nec quiſquam immane tumentes
Succeſſu, curſuque ruentes omnia prono
Suſtentare valet retroque impellere Francos.
Tum Superûm patuere iræ, manifeſtaque tanti
Cauſa mali miſeris NASSOVII injuria Belgis.
Nil abſente illo lætum, nil triſte recepto
Sperandum agnoſcunt; & votis omnibus unus
Adverſus Lodoicis ovantia poſcitur arma.
Poſcitur haud vano deceptis omine. caſtris

Accitus ſimul ille, ſimul victoria Gallûm
Primo fixa ſtetit; mox retro lapſa referri
Cœpit, & Amſteliæ trepidis a mœnibus urbis
Oppida deventum eſt alterno ad Francica Marte.
Haud ſecus Æmonius dum bellis abſtinet heros,
Prœlia nequicquam tentant magnum Hectora contra
Invalidi tanto ſine defenſore Pelaſgi;
Præcipiteſque repulſi horrenda ſtrage ſuorum
Spem reditus, tutas vix ſervant aggere naves.
Sed ſimul ac mediis criſtata refulſit ab armis
Æacidæ caſſis, notamque perhorruit haſtam,
Et notam molem membrorum Dardana pubes;
Extemplo mutatæ acies, mutata cruenti
Sors belli: incumbunt Danai, turbataque Troum
Agmina rejiciunt parmas, muriſque recepta
Ægre altis arcent ſubeuntem turribus hoſtem.
Decuſſis Batavo manicis Rhenoque bicorni,
Anglica NASSOVI lapſuris rebus amicam
Terra implorat opem: quam non externa gravabant
Arma bipenniferi Cimbri, nec Gallia clades
Majorum, merſamve ultura Hiſpania claſſem;
Sed mens cæca Ducis miſeri, pietaſque ſiniſtra,
Et ratio pridem Latiis vitiata venenis
Libertate nova miſeram privare parabat
Æternum, famulamque ſuperbæ reddere Romæ.
Non tulit hoc Britonum felix fortuna, WILHELMUS
Non tulit, Angligenûm materna ex parte parentum
Sat memor, atrociſque tyrannidos impiger ultor.
Alcidæ magni ſic indefeſſa domandis
Terra infeſta olim monſtris exercuit arma;
Defunctumque aliis alii excepere labores.
Ergo inſperata ſubito Nereia late
Æquora claſſe latent; magnis ducentibus & Dîs,
Neptunoque fretum longe ſternente profundum,
Incolumem referens Libertatemque Salutemque,
Et profugam ſecum Pietatem, expulſaque Jura,
Devonia tutus potitur NASSOVUS arena.
Quis cantu illius quis gaudia temporis æquet,
Aut ſatis unius laudet duo maxima lucis
Munera, quæ gelido procedit quinta Novembri?
Illa dies, ſævum cum Roma piiſſima rerum

Olim aggreſſa ſcelus, flammati turbine nitri
Fulmineo, ignota & ſeclis melioribus arte
Regem Regalemque domum, Procereſque Patreſque
Anglos aerias diſpergere vellet in auras;
Detexit diras fraudes, infandaque cœpta.
Illa dies, cum rurſum oris eadem improba Roma
Iiſdem inhians non ad fidas jam noctis amicæ
Confugeret latebras, nec inobſervata ſub alta
Rem gereret terra, ſed graſſaretur aperto
Marte, latuſque ſibi regum circumdaret armis;
Attulit invictum, validiſque labantia regna
Fulturum Ductorem humeris; tenebraſque minantes
Dimovit: Muſiſque manet memoranda per ævum,
Bis Latio eluſo, bis ſalvis clara Britannis.

Sed non unus amor cunctis. ſunt quos ſua cæcos
Damna juvant. Anglo frenis Scotoque remotis,
Abnegat injectæ ſubducere colla catenæ,
Defenditque gravem Dominum ſervilis Ierne,
Jamdudum ſacris plus æquo addicta Latinis.
Nequicquam. NASSOVUS adeſt; nec tela, nec amnes,
Nec fœdæ fugienti hoſti prodeſſe paludes,
Turrigeriſque valent munitæ mœnibus urbes.
Teſtor cærulei denſis prætexta maniplis
Litora Bovindæ; teſtor fatalia Rutho
Stagna Agrimi, & celſo ſurgentem vertice ad auras
Limmerici molem, ac non exſuperabile ſaxum.

Victus humum repetit longo poſt tempore Francam
Bis profugus, ſed non bis eadem ſorte Jacobus,
Oſſa ſed externis poſiturus frigida regnis.
Felix heu! nimium felix, ſi regia tantum
Heſperii nunquam penetraſſent tecta miniſtri.

Non tamen idcirco bellorum extincta reſedit
Flamma omnis; vivit pulſo non nulla ſuperſtes
Ductori ſcintilla, expergefactaque dudum
Parte alia late Mavors incendia ſpargit.
Nudato facilique, WILHELMO abſente, domari
Interea Batavo, pariterque infenſus Ibero
Irruerat Lodoix arrepto tempore, pridem
In ſpeculis reſidens; atque alta pace ſepultas
Non exſpectatis gentes oppreſſerat armis.
Illi etenim utilitas recti menſura; nec unquam
Turpe fidem læſiſſe, poteſt ubi læſa juvare.

Is tuus, Hiſpane, is, quoniam ſors omnia verſat,
Perfidus ante hoſtis, nunc Rex, improvide; (nam nil
Iſte auſus fuer aut potuit, Lodoice magiſtro
Impulſus, fruſtraque gerens inſignia ſceptri,
Nominibus tituliſque tenus tibi Rector) & audes
Fallenti toties ponto committere navem,
Borboniumque Indis cuſtodem imponere gazis?
Sed vindicta premit ſontes, nec Gallus inulta
Perfidia longum lætatur: rebus Hibernûm
Compoſitis redit, & conſuetis viribus inſtat
Exſultanti hoſti Auriacus, rutilo ære phalangas
Florentes Britonum, nec jam deſueta triumphis
Agmina agens ſecum, validique ipſe agminis inſtar.
Ergo WILHELMUM iterum bellantem, iterumque cadentes
Francigenûm turmas viderunt Belgica rura,
Viderunt totis plaudentia flumina ripis
Ultorique ſuo gratantia, Moſa Sabiſque,
Moſa Sabiſque pater juncto qui gurgite capti
Mœnia mirantes ſtringunt excelſa Namurci,
Auriacam ſeclis vim teſtatura futuris,
Amnis uterque ſuas dum volvet in æquora lymphas.
Rurſum igitur requiem Lodoix petit; atque petenti
Das rurſum, pie Rex, lauruſque virentis amictu
Palladiæ mutas pacatum germen Olivæ,
Non mutandum iterum Phœbeæ frondis honore.
Scilicet illa tibi incubit Pax omnibus armis
Sævior; heu fruſtra tantis erepte periclis,
Ut toties tutum qui te illæſumque tuliſſes
Per medios enſes, Bombardarumque tumultu
Horriſono ſuperos quatientia fulmina cœlos;
Sub dubium jam fedus & erumpentia bella
Occideres, NASSOVE, ignavæ victima febri!
Te Camus, Tameſis te triſte ſonantibus undis,
Te vinclo exuti conterrita flumina Rheni,
Te mœſtus flevit poſitis inſignibus orbis.
At vivit Lodoix, vivit, ſceptroque ſuperbum
Franco, perpetuis turbantem motibus omnem
Europam, & regnis ſemper nova regna parantem
Jungere, bruma fere jam ſexageſima vidit.
Sic uſque inviſum conſervat & uſque virorem
Carduus, ac toto vix deficit improbus anno.

At roſa ſuave-rubens & candida lilia, poſtquam
Neſcio quid breve floruerint, marcentia vitam
Fundunt ambroſiam rigidis ludibria ventis.
Sed ſua damna roſæ reparant, ſua lilia; quoſque
Aut æſtas illis aut bruma excuſſit honores,
Cum ver protulerit variam genitabile pallam,
Inſtaurant, decorantque iterum ridentia rura.
Nos, poſtquam ſemel anguſti flos occidit ævi,
Ferrea hiems manet haud ulla ſolvenda Favonî
Et veris vice, nec reduci cum lumine ſolis
Fas caput ætherias redivivum efferre ſub auras.
At quanquam corpus ſeſe primordia laxet
In ſua, nec diuturni adamantina rumpere Lethi
Clauſtra queat; totum non abſorberier atra
Fas morte Auriacum. viget æternumque vigebit
Fama Viri, & penna ſolvi metuente feretur.
Illa etiam pars orta poli fulgentibus aſtris
Cognatis lætam perfracto carcere reddit
Se cœlis, rutilaſque intermicat ignea ſtellas.
Hic magnos inter Divos novus hoſpes Olympi,
Subjectas terras, ſubjectaque nubila mirans
Purpureo nectar bibit immortale WILHELMUS
Ore, ſuoſque tuens pacata fronte Britannos
Quas ſceptro rexit, defendit numine gentes.

In Inauguratione ſereniſſimæ Reginæ ANNÆ.

SIC poſtquam occiduum declivi tramite currum
Egit, & Heſperiis nitidum caput abdidit undis
Phœbus, obit terram ſuboterlabentis opacam
Fratris amica vices alternis Cynthia bigis,
Et pulchra oſtendens cœlis gaudentibus ora
Diſcutit informes piceæ caligînis umbras.
Quanquam etenim Angligenis ſedet alte vulnus adactum,
Et ſtupet ingenti concuſſa Britannia luctu;
Fas tamen huic tanto quædam admiſcere dolori
Gaudia, fas oculos lacrymis ſiccare madentes
Pauliſper, noſtris atque hoc gratarier oris
Nomine, quod Tibi, Lux Anglûm fidiſſima, rebus
Quod Tibi conceſſum eſt Britonum ſuccurrere lapſis,
Inque tuos humeros regna inclinata recumbunt.

Quod

Quod ſi ducentes fatalia ſtamina Parcæ
Non aliam potuere viam, auguſtiſſima Princeps,
Imperiis aperire tuis; modo propria ſaltem
Hæc clades inter tantas hæc dona relinquat
Cælicolûm favor, & præſenti numine firmet:
Nil jam orbi querimur: funeſtum eludere fatum
Quandoquidem natis nec Divûm æterna ſupremi
Lex Jovis indulſit: potuit majore nec unquam
Principis Auriaci mors ſucceſſore levari.
Nam ſi queis poſſet ſanari, lethifer ille
Fatorum his etiam manibus ſanabitur ictus.
Pone tuis igitur jam pone Britanna querelis
Terra modum, vince hos etiam quo cætera vincis
Mœrores animo, & Superis jam fide reverſis.
Tuque parens, triplici tu vulnere læſa, tuoque
Defenſore ſimul, Natoque orbata, Domoque,
Belgia, Naſſova: miſeros quæ ſæpe repoſcis
Nequicquam irata triſtiſſima voce Britannos
Non hac alta Ducem miſſum trans æquora lege;
Si Batavis Anglos æterno fœdere junxit
Una ſalus idemque hoſtis; veſtigia magni
Ardua ſi preſſis ſignis terit ANNA WILHELMI,
Atque animo parili, parili molimine faſtus
Fedifragi parat immanes contundere Galli,
Europæque ſuam turbatæ reddere pacem:
Deſine teque tuis & nos incendere mœſta
Fletibus, & cœlo non omni ex parte nocenti
Invidiam facere, aut flecti ſperare dolendo,
Quæ Pater omnipotens & inexorabile fatum
Æterno nunquam mutanda incidit in ære.
Voſque o Pierides, modo quæ fleviſtis ademtum
Triſti Heroa lyra invitæ, memoreſque tuliſtis
Ad tumulum lacrymas, & debita munera, verſus,
Laureaque infauſta damnaſtis texta cupreſſu;
Flectite nunc mœſtos alia in modulamina cantus,
Atque hilares ſolitaque revincte tempora fronde
Dicite Reginæ felicia carmina veſtræ,
Et Divam feſtis Divæ luſtrate choreis.
Dumque alii Eois late ſplendentia gemmis
Imponunt merito capiti Diademata, ſacros
Vos crines veſtra pariter redimite Corona;
Quæ, poſtquam ornavis mortales cana ſenectus

Exuerit

Exuerit noſtroque o! funus ſerius ævo,
Inſertæ ſtellis Reginæ fixa ſedebit
Vertice ſublimi æternum, longeque refulgens
Ignea Gnoſſiaci ſuperabit lumina ſerti.
Si quid enim veri fatorum præſcius augur
Vatibus inſpirat Phœbus, vel ſi qua futuri
Solicitus rata ſigna viris præmittit Olympus;
Fas nobis luces porro ſperare ſerenas,
Imperiumque Anglis portendit lumine clarum
Inſolito, populis late mirantibus auſa
Stella die medio atque aliena temporis hora
Ardentem proferre facem, ſummumque tenenti
Æthera nocturnas Titani opponere flammas,
Dum magna Regina frequentes ANNA per urbes
Clamatur voce, & ſolium conſcendit avitum.
Seu cœlis adſcripti ignis fuit ille WILHELMI,
Seu Venus Æneadas genitrix miſerata reluxit;
Nil deſperandum trinis ANNA auſpice regnis
Et ſidus monet, & monet omni certius omen
Sidere Reginæ virtus, virtuſque GEORGI,
Dextraque belligeris olim bene nota Süecis.
Aggredere ergo tuos animoſo pectore honores
Regibus antiquis genita, & genitura potentes
(Publica vota Deos poterunt ſi flectere) reges,
Abreptoque alium cito ſuffectura GLOVERNO.
Aſpice NASSOVO turbatas funere gentes,
Germanos, Belgaſque, invictaque corda, Britannos!
Aſpice regnanti rurſus lætantur ut ANNA,
Venturoque ſerena renident omnia ſeclo,
Telluſque, ætheriæque plagæ, pontuſque profundus!
Talis non tali ſuccedens optima quondam
Imperio, manibus rerum ſuſcepit habenas;
Et populos pace illuſtri moderata beatos,
Ad ſeros nomen tranſmiſit ELIZA nepotes.
Incolumes video veræ pietatis honores,
Incolumes tibi cana tuos Eccleſia ritus
Errorum nulla vitiatos fæce recentum.
Et repetit latebroſum eluſis faucibus antrum
Romanus pariter, pariter Fanaticus Error.
Quin formidati nuper qui funere regis
Audito lætos tollebat in æthera fluctus
Rauca ſonans notaſque indignans Sequana ripas;

Jam-

Jamdudum tacitis mutatus ſubſtitit undis,
Compreſſitque minas, priſco & ſe continet alveo,
Viventem vel adhuc ſua per conſulta WILHELMUM
Seclaque temporibus metuens nimis æmula lapſis,
Et non imparibus florentem laudibus ANNAM.
Vos modo, vos ſuperi, quorum ſub numine magno
Vertuntur res Brutigenûm, concedere ſumma
Dona Anglis faciles, eadem conceſſa tueri
Difficiles; veſtras ſi jam ter vulnere magno
Perculſi ſatis atque ſuper ſatiavimus iras;
ANNA vacillantem ſi ſuſtinet unica molem
Imperii, vitaque ſalus communis ab illa
Pendet nexa: procul, procul o removete nefandam
Vim Parcæ capiti divino, debitaque ævi
Egreſſam juſti ſpatia, illuſtrique beatam
Prole iterum, magnaque ſui poſt ultima fata
Parte remanſuram, invitis ſubducite feri
Reginam terris, patrioque reponite cœlo.

Tho. Jones, A. B. Coll. Regal. Soc.

UT ſubitos gemitus nova trudunt gaudia! Fata
Diverſa alterno quam rediere gradu!
Infandi lacrymæ quæ dudum ſigna doloris,
Jam grato produnt flumine lætitiam:
Uſque adeo ludit Dea cæca. Britannia Regis
Funera vix luctu fleverat orba pio,
Nec mora; feſtivos revocat Regina triumphos,
Mœrorem & vultu diſcutit Alma gravem.
Nimirum invidiæ timuit Sors lubrica molem;
Atque ictum, Angligenis quem dedit, ipſa levat.
Hactenus ergo æqua Fatorum vulnera mente
Perfert, nec magno eſt Anglia victa malo.
Ne tamen inde animos ſumat Fortuna, iterumque
Reginæ letho ſe probet eſſe levem;
Nam quamvis præſto eſt longus Regum ordo, cadenti
Quem tunc ſubſtituat non habitura parem eſt.

Geo. Paul, Coll. Jeſ. Alumn.

QUIS desiderio sit pudor aut modus
Tam cari capitis? quod, patriæ decus,
Et rerum columen, tollere debitis
Exsultavit honoribus
Erepta exitio non semel Anglia;
Cum genti rapidos incuteret metus
Edocta insidias Gallia subdolas,
Pollens arte Philippica.
Ergo flebilibus persequimur modis
Sublatum ex oculis sidus amabile,
Et fuse lacrymas exoriens pias
Cernit Phœbus, & occidens.
At tu, magne Parens, fortis, & hostium
Victor, postgenitis clarus habeberis,
Quem vivum nimiis parta periculis
Vexit laurus ad æthera:
Et jam morte tua nomen, & inclyta
Anglorum interitu concíderent gravi
Virtus, ni rutilum Dîa Britanniæ
Sceptrum susciperet Soror;
Cui rerum Dominæ dulce nitentia
Lætantur positis omnia fletibus,
Et splendere pia nititur aureum
ANNA sub duce seculum.

Tho. Cæsar, Aulæ Cath. Alumn.

FATA vocant Regem, crudelia Fata reposcunt:
Flebilis indignas, Anglia, solve comas.
Ille minas domuit Gallorum animosque feroces,
Et proprio hostiles Marte refregit opes:
Ille suis pacem, pacisque hæc otia fecit,
Et lucem & vitam, qua caret ipse, dedit.
Ipse jacet fato victus; tegit atra cupressus
Regales, non jam laurea serta, fores.
Funera pro festis ducuntur acerba triumphis,
Suntque sepulcrali lumina mota face:
It clamor cœlo; sed & hunc dolor excitat ingens,
Et percussa gravi pectora mœsta manu.

Non

Non nobis doluiſſe ſatis bis publica damna,
Et nimium ſatis jam licuiſſe queri:
En! Reges Regumque domos Libitina reviſit,
Exſultatque iterum clade ſuperba nova.
Debuerant Regi fata adjeciſſe ſenectam,
Et multos, Puero quos rapuere, dies;
Regnare & pariter ſi nollent numina, certe
Debuit iſte tuas ferre, MARIA, vices.
Sed nec & ipſe ſuos bene jam compleverat annos:
Flebilis indignas, Anglia, ſolve comas.
Si pro Rege ſuo valuiſſent vota tuorum,
Hæc tibi non eſſet ſumma, WILHELME, dies:
Sed quid vota movent, crudelia numina, Parcas,
WILLHELMI virtus quas neq; ſumma movet?
Scilicet hanc rapidi teſtantur flumina Boinæ
Læſorum effuſo ſanguine miſta Virûm;
Teſtantur quotquot gentes, Lodoice, rapaces
Aut ſenſere tuas aut timuere manus.
Sola Viri virtus ſupereſt, & gloria tanti:
Flebilis indignas, Anglia, ſolve comas.
Tu vero, o Lodoice, malum quo tetrius ullum
Vix unquam Angligenis terra inimica tulit,
Ne ferus exſultes, quod abit fidiſſima gentis
Tutela Angliacæ, ſpes Britonumque perit:
ANNA heres ſceptri ſubit & virtutis avitæ;
Femineæ faciunt ad fera bella manus.
En! teſtatur adhuc, Mulier quid Regia poſſit,
Collapſum imperium gentibus Heſperiis.
Exoſo indignans Gallo male tradita ſceptra
Non Lodoici iras jam tremuiſſet Iber;
Si vel mille rates, vel fraus, vel dira Philippi
Vis, ELIZA, tuas ſuſtinuiſſet opes.
Et niſi vana animos ſubmittit Gallia, fati
Venturique memor diſcit habere modum;
Everſas bello vires, convulſaque regna
Auſpiciis ANNÆ poſtera ſecla canent.

T. Traheron, Coll. Regal. Alumn.

SO-

SOLENNES inter lacrymas, queis ultima manes
WILLHELMI deflet pietas, buſtique favillam
Condit, ſupremoſque Heroi ſolvit honores,
Feſtivos liceat plauſus, citharamque choreis
Admiſcere; tuæ, Princeps Auguſta, coronæ
Dum canit auſpicium, & læto clamore ſalutat
Anglia Reginam: Trabeam cinctuſque Gabinos
Exornat populi ſtudium, ſua Dona Camenæ
Officioſus amor properat.
Accipe, noſtrarum Nutrix fidiſſima rerum,
Accipe quæ tenui ſupplex Academia ſacris
Debita temporibus molitur carmine ſerta,
Pieriæ grates turbæ. non ambitus illas,
Venaliſque fides, verum omni munere major
Virtutis ſpecioſus honos in fercula pompæ
Elicit; obſtringitque animos ſpes addita votis,
Sedatique metus, rerumque obducta cicatrix.
Quis referat quam late infandus miſcuit orbem
WILLHELMO moriente dolor? funeſta per urbes
Nuncia Fama mali volitat; famulantur eunti
Pallor, & atra Fames, pullatoque agmine Luctus,
Hærent attoniti monſtris, & fœdera Belgæ
Tanto ictu ruitura pavent: vix ſuſtinet æger
Germanus clypeum, & tacita formidine triſtis
Reſpicit ora Padi, atque Alpinæ devia rupis.
Ancipites ideo reficit gratiſſima Princeps
Hinc Batavos, ſociatque manus; ſua fulmina belli
Dividit inde Aquilis, voce & ſolata labantes
Italiam, veteresque docet ſperare triumphos.
Eluſam hic demum fraudem Lodoicus, & artes
Conſiliis fractas ſentit felicibus; umbras
Mente triumphales, & inania ſomnia damnat,
Creſſiacaſque amens acies, arcemque Namurci
Suſpirat recolens: gravis indignantia pulſat
Corda pavor, torpentque infractæ in prœlia vires.
Jamque Pyrenæos ſaltus, & quicquid Iberus
Divite lambit aqua, nativoque inficit auro
Pervadit metus: arma procul claſſiſque Britannæ
Robur, & æratis effulgens puppibus æquor
Suſpiciens Hiſpana Thetis, ſecum ægra revolvit
Oceanum ferventem armis, & cœde rubentem

Heſperia,

Heſperia, & captas Gades, ſeriemque triumphi
Femineæ virtutis opus. dein altera bella
Feminea inſtaurata manu, ſtragemque ſuorum
Horreſcit; rerumque miſerrima oberrat imago.
Hæc inter laceros audet componere crines,
Ferales mater ponitque Britannia luctus
Auſpiciis, Regina, tuis; vigor urbibus ægris
It per membra recens, & lenit adorea curas.
Sic ubi fecundo Zephyri Veriſque tepore
Germina feta tument ſilvis, immitior aer
Surgentes olim ſuccos, & pabula terræ
Opprimit, exuritque maligno ſidere cœlum:
Sol vero exoriens radiis genialibus auræ
Temperat hibernos flatus cœlique rigorem,
Humorumque aperit venas; verno omnia luxu
Rident, pubentique virens ſe gemmula ſucco
Induit in florem, & nativos ſpirat odores.
Maxima, Tu, Regina, ſereno lumina vultu
Diſpergis Phœbea, tuiſque exorta Britannis
Ire diem ſine nocte jubes: læto omine ſurgit
Magnus rerum ordo, præſumitque Anglia lauros
Venturas, auroque notantes ſecula faſtos.

Joh. Chapman, A. B. Coll. Emman.

EFFUSO patriam ſervavit ſanguine Codrus,
Atque hac ætherias attigit arte domos.
Deficiente ſuis GULIELMUS ſanguine venis
Occubat; hinc proprium ſcandit & ille polum.
Vitales lymphas utrique exhauſit, utrumque
Extinxit patriæ religioſus amor.
Palma ſed hinc cedit GULIELMO; Hic ſanguine Rebus
Geſtis aſſidue exhauſtus, at ille ſemel.

Sam. Saunders, Coll. Div. Joh. Alumn.

QUAM ludos faciunt mortales lubrica Fata!
Quam ſincera diu gaudia nulla manent!
Nonne ſatis Regum protruſum eſt funere funus?
An vel adhuc Mors, quo progrediatur, habet?
Heu! habet, atque heu progreditur! noſtræ unica Gentis
Spes, murus, lumen, cuncta, WILHELMUS obit.
O miſeram tanto orbatam te vindice gentem!
Te dare ſervatam jam nequit ipſa Salus.
Jam luſum inſtaures, nec fruſtra, Galle, furorem:
Dat jam jam victas Anglia fracta manus.
At quid ego hæc autem infortunia ſomnio? tollit
Altius oppreſſum palma Britanna caput.
Avulſum ſimili frondeſcens virga metallo
Penſat ramum; & adhuc aurea ſecla nitent.
Aurea ſecla nitent nobis, ſalvaque nitebunt
ANNA; at ſint, Lodoix, ferrea ſecla tibi.
Salve o ANNA potens ſceptri, heres digna WILHELMI,
Atque æqui noſtras conſule, blanda, preces.
Lucida defuncti inſiſtens veſtigia, ab Illo
Præclare inceptum perfice fortis opus.
Graſſantis nimium tardare Tyrannidis alas,
Te, Te equidem dignus vindice nodus erit.
Eia exſurge igitur, te dignam ac exſere mentem;
Invictiſque animis bella ſecunda move.

Diſcat Amazoniæ vim dextræ, & ſentiat hoſtis
Quod non ſolum oculis Fulgura, Dîa, geris.
Hiſpano tumido ſis altera ELIZA; ſubacto
Incutiant ſolitum feminea arma metum.
At Gallis (quoniam noſtram turbare quietem,
Atque, injuſta licet, bella movere placet)
Hæc ſcelerum merces eſto; Illis per ſua Regna
Nil ſtabile, aut firmum ſit, niſi Lex Salica,
Principe nam tua quæ luſtret veſtigia, quanquam
Paſſibus haud æquis, non meruere frui.

Tho. Greene, Coll. Pet. Alumn.

Sic olim aeriæ ſummis in ſaltibus Idæ
Auſtrali rabie radicitus eruta pinus
Inflexit veneranda caput, terramque reviſit.
Illa diu felix ſtetit ingens gloria ſilvæ;
Extulit illa caput, conſpiranteſque lacertos
Expandens feſſis tribuit paſtoribus umbram.
Ergo jacet tandem fato percuſſus iniquo
Cæſar; & Heroas, quamvis potuere vel ipſum
Conſiliis æquare Jovem, certamine Martem,
Poſſe mori docet, & ſcandi poſt funera cœlos.
Et quæ lingua tuas memoret, quæ carmina laudes,
Quis dabit invicto Tibi ſigna perennia, Cæſar?
Quis Te denſatis iterantem horrentia pilis
Agmina deſcribat? quis Te, dum victor in hoſtem
Irruis intrepidus, mortemque laceſſere pernix?
Aut ubi Tu Boini rapidis obniteris undis?
Mœnia quis magni prendentem ſumma Namurci
Fingat, & in refugos vibrantem fulmina Gallos?
Scilicet ingentem pompam, claroſque triumphos
Gallia læta parat, magna exſultatque ruina!
Et dudum exanimis, gratatur vulnera mortis,
In tantum quæ tela Virum conjecerit audax,
Quem vix mortalem didicerunt credere Galli.
Nec tamen interea lugubres Anglia queſtus
Perpetuo inſtauret; ſed tandem funere ab ipſo
Concipiat vires animo, patriumque vigorem.
Sat lacrymis, cinerique datur: lætam erige frontem,
Anglia, & oblitos vincant tua gaudia luctus:
Excipit imperium Regum auguſtiſſima proles
Anna, Deûm miſcenda choris. licet Hectora vulnus
Myrmidonum domuit meditantem bella catervis,
Pentheſilea ſuas ducens animoſa phalanges
Feſſorum incendit languentia pectora Teucrûm.
Quin Tu bella geras, Regina, potentibus armis,
Imperiumque Tuis ſtatuas, ſubigaſque feroces
Tu Gallorum animos, & colla in vincula mittas.
Sit Tibi fida comes niveis Victoria pennis;
Sit diuturna Salus, & pleno Copia cornu;
Naſcaturque Tibi regum numeroſa propago;
Seraque nos fugiens Cognata feraris ad aſtra.

R. Attwood, A. B. Aul. Pemb.

Te quoque, Nassovi, Lethæo in flumine merſum
Credideram, & corpus nullis violabile telis
Geſſiſſe, aut torva Tritonidis Ægide cinctum;
Cum rigidi felix tot aperta pericula belli,
Cumque tot occultis imitantem Protea formis
Luſeris, & fruſtra jaculantem ſpicula, Mortem.
Sanguinei quoties Te fulmina bruta Gradivi
(Quæ nunquam armatos diro ſine vulnere tangunt,
Nunquam lugubri infligunt ſine funere vulnus)
Tranſvolitant, humeros leviter ſtringentia ſummos!
Deflectunt timide Regali a vertice, pulſa
Majeſtate loci; pedibuſque fugacia ſacris
Oſcula dant, & terribili venerantur honore:
Dum validos ſternunt furiali more Batavos,
Et late Angliaco fecundant ſanguine terram;
Funeſta mortale genus quaſi perdere ſtrage
Tentarent, penituſque ipſum convellere Mundum.
Tu tamen ipſe jaces! ſpolioque elata recenti
Infandum exſultat Libitina maligna, quod uno
Funere Hyperboreo terrorem incuſſerit orbi.
Fata quid incuſo? jamdudum debitus aſtris
Ardua nativi ſuperaſſes limina cœli,
Ni miſerans hominum varios duroſque labores
Numen, & ulciſci ſtatuens perjuria gentis
Liligeræ, afflicto juſſiſſet in orbe morari,
Et relevare inopes, & debellare ſuperbos.
Vidimus extinctos Romæ creſcentis honores,
Atque Reformatis gaudentes Regibus Anglos;
Mandante Auriaco immanes manſueſcere Turcas
Vidimus, & nunquam violandum pangere fedus:
Altera tum facies ſubito ſuccreſcere rerum,
Dum vacat Europæ curare domeſtica damna;
Et fluere, ac penitus retro ſublapſa referri
Gallica res, fauſto Eugenius dum fulminat enſe,
Hiſpana properans Leopoldum ornare corona.
Borbonidum moritura brevi ſub morte Wilhelmus
Lilia prævidit; ſolituſque referre Triumphos
Solus, cum Lodoix vicinum terruit orbem,
Palmam indignatur partam ſocialibus armis,
Feſtinatque ſuæ ad conſortia læta Mariæ.
Occidit! ante tamen repetet caput unda Bovindæ,

Ante perhorreſcet Papales Anglia Bullas,
Quam Fama indomiti reticebit geſta WILHELMI.
Parce ſupervacuis mœſta indulgere querelis
Anglia: compenſat Damnum ſatis ANNA nefandum,
Femina quæ ſeris memoranda Nepotibus olim
Noſtris invidioſa Annalibus uſque legetur.
Te quoque ſolari, viduata Batavia, claſſe
Atque viris parat, ac ſimilem ſe ſpondet ELIZÆ;
Et mox horrifico litui clangore canori
Inclyta defuncti perſolvet juſta WILHELMI.

Vincentius Rice, Coll. Trin. Alumn.

In Regem, ſerena præter ſolitum tempeſtate defunctum.

PULCHRIOR viſus radiare, curru
Phœbus ex alto jaculatus ignes;
Splendida gaudens ſoror alma Luce
Cuncta ſerenat.
Ut cito creſcunt virides honores
Ruris! ut læta inſolito nitore
Veris adventum Zephyrique pandit
Florida Tellus!
Fallor? an Sedes patrias Olympi
Alter accedens ſpecioſus, Orbes
Luce cœleſtes meliore ſpargit
Exoriens Sol?
Fervidus toto GULIELMUS axe
Emicat late, repetens MARIAM:
Nec mora: occurrit; radioſque vibrat
Mutuus ardor.
Quam bene ardentes ſociantur Ignes!
Quam juvat veſtrum Jubar experiri!
Dulce lætatur, propiuſque Numen
Sentiet Orbis.
Si nec ingratam regit æqua Gentem,
Nec ſinit Gallos equitare inultos,
Aureum victrix revocabit ævum
ANNA ſuperſtes.

Th. Frankland, Filius natu maximus *Th. Frankland*
Bti Coll. Jeſu Socio-Commenſalis.

ERGO occaſum adeunt radiantia ſidera? Phœbus
Ipſe etiam Heſperiis lumina condit aquis?
Ergo, WILHELME, cadis? cadis? imo ad ſidera ſurgis,
Sidera, quæ geſtis perſonuere tuis.
Præſentem quoties te vidit Hibernia Divum?
Et ſenſit numen Flandria tota tuum?
Ipſa tibi cedit turres Namurca ſuperbas,
Ipſe tibi Nereus regia ſceptra maris.
Promovere tuos nempe ipſa Elementa Triumphos,
Per mare, per terras Tu GULIELMUS eras.
Ætheria tamen ah! non veſceris amplius aura,
Occidis heu! populi ſpeſque ſaluſque tui.
Occidis —— at vano hoc nimis indulgere dolori eſt;
Imperii meritas ſuſcipit ANNA vices.
ANNA, potentum animos quæ jam moderamine flectit,
Et fovet auſpiciis regna paterna ſuis.
ANNA, Hiſpani iras quæ mox contundet inanes,
Frena dabitque armis, o LODOICE, tuis.
Atque adeo, quod Mars cecidit, tu ne erige criſtas;
Qua tegat afflictos Ægida Pallas habet.

D. Walter, A. M. Coll. S. Pet. Soc.

NASSAVIÆ periit gentis decor ultimus; ille
Ultima caſuræ maxima ſpeſque domus:
WILLHELMUS periit. fati lethalis at expers
NASSOVUM certe debuit eſſe genus.
Quid vero lacrymis inſultans Gallia noſtris,
Numina dura aliis credis, amica tibi?
Das lætans, das ſigna, illum vixiſſe tremendum;
Et mortem tantum ſolvere poſſe metu.
Sic vero te bella manent, aſperrima bella;
Nam, quæ juſta negas gentibus, arma dabunt.
Ne lacrymas umbræ ingenti date, munera parva;
Ferte nec ardenti vilia thura rogo:
Ite in bella viri, inferias demittite dignas;
Vos ite audentes, crimine bella vacant:
Non armis periit Rex veſter: bella gerenti
Succeſſus dubiam non habuere fidem.
Ite in bella viri: non irrita federa fecit
WILLHELMUS, ſocias nec male junxit opes.

Quantum

Quantum eſſet munus vitæ mora parva! daretur
  Jam titulos titulis exſuperare novis.
At ne quo caſu retro ſublapſa ferantur
  Cœpta viri, & Lodoix miſceat arma dolo;
Ne, cum jam ſubiit terras, lux noſtra, WILHELMUS,
  Res Britonum incertis motibus error agat:
Ecce, ANNAM nitidum terris oſtendere lumen,
  Et proferre ſuo tempore, Fata parant:
Inque dies affulgebit præſentior ANNA;
  Carior inque dies ſceptra Britanna geret.

B. Clarke, A. B. Coll. Regal. Soc.

NUAQUAMNE ſævo læta negotio
  Mors ponet iras? heu! quibus impia
Sacris pepercit? unde avaras
  Continuit Libitina fauces?
Raptus WILHELMUS? ſume Britanniam,
Tu mitius Fatum; ibimus, ibimus,
  Quocunque præceſſit WILHELMUS,
    Vivus enim morienſque charos
Curavit Anglos. verba noviſſima
Audite mœſti (quod potuit, dedit
  Amoris hoc pignus ſupremum)
    " Angliacam tueare gentem,
" Numen benignum: Relligio ſacrum
" Antiqua pergat tollere verticem:
  " Neu deſit, oro, qui feroces
    " Militia metuendus acri
" Gallos refringat. Vive, vale Albion:
" Siquid beatis ſedibus Elysî
  " Mortale mentem tangit, imo
    " Veſtri erimus memores ſub Orco.
Hæc fatus, ægre duxit anhelitum
Invictus Heros; nox oculos premit
  Perennis, horrendumque late
    Ingemuit ruiturus Orbis.
O pax Britannis bello inimicior!
Securus inter mille cadavera
  Expugnat urbem; obſtante fluctu,
    Boiniacum inviolatus amnem

Tranavit

Tranavit audax; dum cadit undique
Confossa telis turba Quiritium,
Innoxio mollique tactu
Flamma pedes humerosque lambit.
Cur rursum in hostes non tulit impetus?
Sic veste, Mavors, cinctus ahenea
Mortem fugasses, sic triumphans——
Sed rigidæ vetuere Parcæ.
Quem rebus Anglus nunc vocet arduis?
Quis nunc ruinas Egregius valet
Sarcire tantas, & labantis
Imperii tolerare pondus?
Adsis, honores accipe debitos,
Regina, votis hoc Britones rogant,
Hoc optat Europæus orbis,
Consiliis Lodoice solo
Dissentienti. mox sciat improbus,
Quid Marte possis Femina; ut, horridas
Ducente Regina catervas,
Hesperii didicere quondam.
O perbeatam sorte Britanniam!
Prudens ELISAM dissimilem suæ
Natura produxit MARIÆ,
Te similem genuit Sorori.
Perge æmulari exempla domestica,
Augusta Princeps: Moribus (ut facis)
Ambas sequare, Ætate solam
ANNA, precor, referas ELISAM.

Rob. Parran, A. B. Coll. Trin.

I, Fuge, mœsta Theti, & lacrymis ingentibus aucta,
Ad vada Bovindæ turgentes dirige fluctus:
Illi fata refer, Nympharum incredula turba,
Spem decepta tuam, & mortalem disce WILHELMUM.
Invenere viam jam non errantia fati
Spicula: nec contenta sacrum libâsse cruorem,
Altius impressum cuspis bibit ebria vulnus.
Ah Nympha infelix! jam te, Theti, fata secundo
Indignam exercent luctu, revocatque recentes
In lacrymas crudum bis rapti vulnus Achillis.

Scilicet

Scilicet huic etiam Divûm promittere vitam
Impulit incautam pietas: Natoque negatam
Auſa es (proh! demens) Domino ſperare ſalutem.
Nec minor ergo fuit cari tibi cura WILHELMI.
Illo nempe die, gemeret cum ſanguine plenus
Amnis, nec reperire viam, atque evolvere poſſet
In mare ſe Boinus: miſſas ibi fallere mortes
Diceris, innocuoſque extinguere fontibus ignes.
Quid tamen incolumem valuit per tela, per hoſtes,
Inveniſſe viam? tulit hoc, moriturus & ipſe
Æacides: nec Te, Britonum fortiſſime, credo,
Fas erat humanæ victum ſuccumbere dextræ;
Major agit Deus, & ſævos ſibi poſcit honores.
Non Te, magne Heros, non Te rationis egentem
Extrema jam in morte ferus circumſtetit horror.
Ipſe hoſtis torvam faciem, vultuſque minaces
Agnoſcit: perculſa tremit, nec febris inermem
Audet adire Virum, nec aperto invadere Marte:
At cæcos meditata dolos, totumque pererrans
Arte locum, dubiis incautum aſſultibus urget.
I, Patriæ decus, atque dolor: tamen haud leve nomen
Manibus hoc referens Patriis deſcendet imago,
Pugnantem viciſſe Deos, viciſſe cadentem.
Da, veniam, Regina, brevique ignoſce timori:
Nam brevis ille fuit: qualis (cum, Phœbe, Sororem
Stans ſuper adverſam irradias) quatit inſcia Vulgi
Pectora: nos rerum ignari cum ſole ſepultum
Deſperare diem, æternamque horreſcere noctem.
At ſimul, ANNA, tuum aſcendis ſublimis Olympum,
Luce nova redimita caput, dediſcit inanes
Tuta metus, ſanctumque Britannia ſidus adorat.

Pawlet S. John, A. B. Coll. D. Joh. Evang.

HEROAS ſummos menſis Mavortius urget:
Julius hoc, hoc tu menſe, WILHELME, cadis.
Quis ſit fulmineo dignus ſuccedere Marti
Quæritur? Aprili præſidet alma Venus.

Jac. Powel, Coll. Trin. Alumn.

ERGONE te longi elapſum diſcrimina belli,
Et quæ Pax bello ſævior arma tulit;
Ergone te Fatum rapuit, Rex maxime, cui non
Ætas ulla parem protulit, ulla feret?
Aſt ego, quos demtos Glôſtrenſi flevimus annos,
Sperabam vitæ Fata datura tuæ.
Aſt ego, quæ bello tangebas Gallica regna,
Sperabam manibus dicere victa tuis.
Verum o! ſpem luſit Fatum, fruſtraque laceſſunt
Non audituros irrita vota Deos.
Qui pro te vitam populus deponere vellet,
Nunc ſine te vitam triſtis & æger agit.
Te Duce qui mediis occumbere vellet in armis
Miles, nunc lacrymis (nec pudet) ora rigat.
Heu! quis jam Britonas Gallos hortetur in hoſtes?
Quis cæca inſtructos detegat arte dolos?
Quis regat heu! totum paribus virtutibus orbem,
Confirmetque gravi regna caduca manu?
En dubias inter res emicat ANNA, regitque
Unica non alia ſceptra regenda manu.
Illa, ubi jam amiſſo Navem fluitare magiſtro
Vidit, & adverſos vela referre Notos,
Arrepto clavo mediis direxit in undis:
Adventum ſenſit conſcia turba Deæ.
Nec ſatis Angliacis regnis felicior aura
Quod datur, undarum & ſpernere tuta vices;
Idem amor in ſocios paſſim diffunditur, idem
Communi Batavos ſervat & auget ope.
I nunc, & vaſtas armato Hiſpania claſſes,
I nunc, & notos Gallia tende dolos.
Junctam Hiſpanorum vim franget major *Elizâ*,
Gallorum junctas conteret ANNA minas.

C. Foſter, Coll. Regal. Alumn.

ANGLIA te raptum plorat, WILLHELME, nec unquam
Plorandi cauſa hac juſtior ulla fuit.
Triſtitiæ quis tantæ eſſet modus, ANNA labantis
Si non imperii ſuſtinuiſſet onus?
Principe non minus hac trepidabit Gallicus ardor,
Auſpiciis olim quam, GULIELME, tuis.

Femina

Femina quid poſſit fuit olim Hiſpania teſtis:
Jam, non ſolum iſta, at Gallia teſtis erit.

Guil. Tho. Selwin, Coll. Jeſ. Soc. Commenſ.

IRATOS ſemperne Deos? ſemperne Britanni
Funera plorabunt, quæ tu, Libitina, dediſti
Cæſareæ funeſta domo? placaſſe furentem
Te modo credidimus dilecti fata GLOVERNI:
Sed quam vana fides! jam funere læta recenti
Altius aſpiras, palmæque elata futuræ
Spe nimium certa, pallenti hæc ore locuta es.
" Nos ergo fallent artes? potiorque medentis
" Vim noſtram eludet manus? haud ſanare jacentem,
" Pocula miſcuerit licet ipſe, valebit Apollo.
" Quin morere, o Princeps, nec Te Tua plurima virtus
" Nec ſuperi eripient.
Dixiſti; & fato ſuccumbit Regius Heros
Jam primum victus. quoties te dira fugavit
Arma inter verſans! quoties fatale minantem
Mille animis, victrix quas fudit dextera, movit!
O ſi iterum in latum Auriaco deſcendere campum;
O ſi iterum tentare feri fas prœlia Martis!
Sanguine Gallorum quanto, quantiſque ruinis
Fregiſſet Lodoici animos, Tu Boinia, teſtis
Tu Moſa, quid bello poterat NASSOVIUS enſis.
Febris at Heroem domat; & jam pallidus ille
Exanimiſque jacet, toties quem expalluit hoſtis.
Ah modo Dî annuerant faciles, cecidiſſe ſub armis
Quam mallet, condique ſuo ſuper ipſe triumpho!
Heu! quid Fortunæ ſacrum, ſi ex ædibus illis
Unde petit Divos, audebit ducere funus?
At Tibi Dii parcant, Regina, & ſerius illas
Aggrediare domos, Tua Te queis inclyta virtus
Maturam, pietaſque diu fecere; mereri
Cœleſtes tantum ſimilem cœleſtibus arces
Quis neſcit? Sed ſola manes, ſuccurrere rebus
Quæ poteras miſeris; nam Te movet, ANNA, Tuorum,
At non cura Tui; neque enim regnando beata
Eſſe potes tantum, quantum parendo Britanni.

Sam. Doyly, Coll. Trin. Alumn.

QUAM-

QUAMVIS Aonium mihi non pertingere montem
Dat Clio urgenti licet, & propiora petenti;
Me tamen a Muſis fines ſuperare ſtatutos,
Et, male defenſis excelſi Heliconis ab undis
Liquore arrepto, inſolitum compingere carmen
Cogunt res magnæ & miræ; & quem Muſa negavit
Fundit, amorque, dolorque, ac exſultatio verſum.
Quis furor aſt digne poterit perſolvere grates
Manibus Auguſti WILLHELMI, & plangere triſtem
Sideris Auriaci occaſum; & nova dicere cantu
Gaudia, quæ Angligenis oriens nunc attulit ANNA?
Sed tentare juvat———

Ad Regem defunctum.

ACCIPE perpetuas, functorum maxime, laudes,
Et quodcunque poteſt gens grata rependere gratum
Accipe, ob inclyta facta, indefeſſoſque labores,
Queis memores in perpetuum devinxeris Anglos.
Cum Gallus (dominandi urit quem fœda libido,)
Nos noſtræ libertati timuiſſe coegit,
Tu noſtram Romam languentem, more Camilli,
Vivere juſſiſti: &, nil non metuentibus Anglis
Tu purum cultum, Tu ſacras numinis ædes,
Tu vires legum antiquas, docta otia, fructus
Muſarum egregios, hæc omnia tuta, ſerena,
Marte tuo multos præſtabas Impiger annos.
Pax formoſa ſuis ætatem extorris & exſul
Sedibus, amiſſas a Te revocatur ad oras
Pulchrior. atque his plura etiam ſub mente movebas;
Ut fortes Britonas penes eſſet nobile pacis
Bellique arbitrium: ſed mors inimica ſtupendis
Auſis, ante diem vigilantia lumina clauſit.
Heu! quo veſanos urges, Libitina, triumphos?
Uſque adeone tibi nullo diſcrimine habentur
Rex & plebeius? vulgari, & ſanguine natus
Regali? nulla eſt patriæ tibi cura ruentis?
O quam aveo ſumma illa dies ut luceat, unde
Exſpectanda tuo eſt ſtrages æterna, ſepulcrum
Perpetuum, capiti funeſto! quippe Britannis,
WILLHELMUM feriendo, audax quem incuſſeris ictum,
Unica ſanando in terris ſuffecerit ANNA.

Ad ANNAM *Reginam.*

TUQUE adeo, Regina Parens, ſuaviſſima rerum,
Noſtra ſalus, noſtri dulcis medicina doloris,
Sis ſalva, æternumque canat Brittannia *ſalve.*
Marcenti ut Terræ placidus venit imber; ut illi
Qui ſpem vivendi abjecit, jucunda ſalutis
Nuncia: Carolidum ſic Tu germana propago,
WILLHELMI poſt fata, geris gratiſſima noſtrum
Imperium; quod ſic reparas recreaſque perita
Concuſſum, ut vel forte magis de vulnere ſurgat.
Omnia WILLHELMI decora heres accipis, &, quod
Unum defuerat Regi, *tota Anglica* regnas.
O quos nunc lætus video procedere menſes!
En primo ingreſſu regni, clementia cœli,
Ultra ſpem moremve, nitentia tempora blandis
(Credimus) auſpiciis prænunciat: & novus almæ
Conſpectus Veneris, fecundæ matris amorum,
Phœbus ubi medios æſtus ſuccenderat, omnes
Speramus quod Progeniem (ſtella indice) monſtrat
Nunc fauſtam, magnorum & longa exordia regum.
Hoc manet; ut veluti WILLHELMIUS, acer in armis,
Contudit effrenem Gallum; & felicis ELIZA
Nominis Hiſpanum præclaro marte ſubegit:
Sic conjurati Auguſta ſuperentur ab ANNA.

Edmundus Brome, S. T. B. Coll. Div. Joh. Soc.

QUICQUID piorum Principum piiſſimo,
Quotcunque rerum præfuerunt Vindices
Britannicarum; quicquid invicto duci,
Qui gloriam aſtris militarem æquaverit,
Gallo frequenti notus in victoria;
Quicquid ruentis Imperî male fraudibus
Quas Roma ſtruxerat Statori maximo
Debere fas eſt liberatam patriam;
Tuis id omne jam, WILHELME, Manibus
Id omne debitum fatetur Albion,
Et mœſta lamentatur amiſſum caput.

Ultra hoc timere vero, & ultra queſtubus
Lætam ruina facere noſtra Galliam,
Id nec WILHELMI deſiderium triſte, nec
Sua poſtulare cenſet infortunia,
Experta dudum quanta poſſit Feminæ
Matura vis. O! ergo, quam Te cunque jam
Vocare fas ſit; ſive falſo nomine
Veteres ELIZÆ reducis inſtauras dies,
Cum fluctuanti vecta ſilva Brittonum
Ibera robur ſenſit inſolentia:
Seu, quæ notata Annalibus prioribus
Boadica fortium graves Quiritium
Virtute pluſquam maſcula fregit minas,
Meliore fato rebus afflictis ades:
Sive alma, Troici miſerta ſanguinis,
Imitante vultum fronte mortalem, Venus
Dignaris intereſſe; (ſine Diis non fuit
Certe, quod inter lacrymas languentium
Polo ſerenior refulſit nuncia)
Quæcunque ſis; o! longiora numinis
Spatia Britannûm gentibus præſtes Tui:
Unamque ſpem jacentium maturior
Ne tollat aura: ſed reciſis Liliis
Iterum timere diſcat Nomen Anglicum
Intra priores Gallus equitans terminos.

Rob. Lamb, Coll. Regal. Soc.

TE dolet abſentem lugubris Belgia, quaſſant
Et veſtra Auſtriacam fata, WILHELME, Domum.
Te mare, Te tellus, queritur Te nauta, jacentem
Te Dominum Miles, litora, ſaxa, ſuum.
Noſtra diu tetricæ turbarunt arva Sorores;
Vel ludo eſt rigidis genſque Britanna Deis.
Flevimus, heu! MARIAM; nuper ploravit ademtum
Principem, & Auriacum Muſa hodierna Ducem.
Luxuriare placet, Lacheſis, tibi funere Regum;
Sed ſine Regalem vivere, Parca, Deam.

Ad

Ad Reginam.

SUME, quod poſſis merito tenere,
Sume jam tandem ſolium Paternum:
Digna es, o Regina Potens, Britanna
Sceptra vibrare.
Quam decet celſam Diadema Frontem,
Quanta Majeſtas ſedet ore ſacro,
Reddis & quanto populum favore,
Diva, Beatum!
Noſtra Gens jamjam rutilat coruſcis
Numinis Veſtri Radiis; Ierna
Gaudet; & ſentit jubaris benignum
Scotia robur.
In quibus terris Hominum propago
Tam fera eſt, quæ nunc animos reculet,
Nolit hæc perquam placida Imperatrix
Temperet orbem?
Galle, detrectes inhoneſta bella,
Juſſa tam mitis Dominæ capeſſas,
Vel tua Illius gladio domanti
Colla reclines.
Aureum Tempus videas reverti:
Anglus Auguſtam veneratur ANNAM;
Gens habet magnum Columenque, & Almam Eccleſia Matrem.

Tho. Emerſon, A. M. Aul. Clar. Soc.

ERGO jacet fractus vires & membra ſolutus
Vi ſuperûm, armatæ quem non potuere phalanges
Sternere? nunc primum deploras Anglia Victum,
Docta prius lætas Victori innectere lauros.
Invidet heu! nobis Te cœli regia, Cæſar,
Atque breves vetat ulterius curare Triumphos.
Aſt uno quamvis avulſo Regia Quercus
Manca gemat Ramo, non deficit Aureus alter,
Qui ſimilem præſtet feſſis paſtoribus umbram.
Colligit en! proni frena ANNA fluentia Regni,
Atque jubet lætos iterum procedere menſes.

Ne

Ne jam noſtra igitur placeant diſcrimina, Galle,
Tuve tibi nimium: vel adhuc dabis, improbe, pœnas.
Femineæ pergas contemnere fulmina dextræ:
Victricem at fudit Cyrum pharetrata Virago.
Femineas bello vires Hiſpania ſenſit
Imperio terrarum inhians, & onuſta triumphis.
Galle ſuperbe, cave; tua jam verſabitur Urna.

Samuel Prat, A. B. Aul. Cath.

At non præcipitis Fati ludibria flemus
Triſtes ruinas imperî
Unius, aut ſolitas
Armorumque Ducumque vices: nunc carmina poſcens
Totius Europæ ruit
Et Decus, & Columen.
Si ſtricto Lodoix nunc ſæviat impius enſe
Vindex honoris perditi,
Belgia quid faciet?
Si nunc non ſua ſceptra Jacobulus ille repoſcat
Cinctus feroci milite,
Anglia quid faciet?
Occidit, hinc procul exegit qui nomina ficta,
Qui fulminanti contudit
Gallica regna manu.
Avulſos, Leopolde, tibi quis reddat honores?
Decus quis ultor regium
Auſtriaco capiti?
En! verus patriæ fraudis, ſed iniquus Iberæ
Heres coronæ tranſtulit
Servitiumque, graveſque
Hiſpanis mores, arteſque Tyrannus avitas;
Abît ſalutis publicæ,
Juſtitiæque Parens.
Ille abiit, cujus ſtimulatus laude ſecundus
Tanto per Alpes Annibal
Impete fecit iter.
Ille abiit; regnatque Paris, tutuſque alieno
(Scires Nepotem Gallicum)
Heu! fruitur ſolio.

Te,

Te, GULIELME, carent omnes, caret accola Rheni,
Padique fontes, ultimi
Danubiique bibens.
Ante omnes tibi dilecti, magis omnibus urgent
Deſiderandum lacrymis
Te Britones Batavique:
Almo ſeu populum donares munere Pacis,
Seu tela vibrares manu
Fortia, præſidium
Angligenis Bataviſque tuis commune, ſalutem
Lætus ſub alto pectore
Senſit uterque parem.
At nunc (ergo animis tantæ cœleſtibus iræ?)
Te dira Morbi ſpicula
Vulnere non alio
Lædendum feriunt Damnum commune, dolorem
Mœſtus ſub alto pectore
Sentit uterque parem.
Quæ non dona tibi, quos non ferremus honores
Grati? ſed o te nolumus,
Tantus amor patriæ,
Nolumus addere te ſuperis; tibi regna beata
Cœli invidemus debiti,
Emeritumque diu
Siſtere conamur: nos ibimus, ibimus omnes:
Triſti WILHELMUM Patriæ
Reddite cœlicolæ.
Nos natique ſimul ——ſic ſic juvat ire ſub umbras:
Triſti WILHELMUM Patriæ
Reddite cœlicolæ.
Fata vetant; flenteſque ferunt ſua dona Camenæ,
Pias ſupremo carmina
Exequias cineri.
Occidit, Europæ belli paciſque Bilances
Qui rexit incertas ſuo
Arbiter imperio.
Si voluit, Mars perculſum conterruit orbem
Multo cruentus ſanguine;
Contudit & trepidos
Ormondus Celtas; nunc ſentit abeſſe WILHELMUM
Qui ſæpe præſentem tulit
Numinis inſtar opem.

Si voluit, Lodoix tulit indignatus, iniqua
Poſt bella, ſancti federis
Vincula, quæ ſibi jam
Excutiet. quid enim? ſentit cecidiſſe WILHELMUM,
Qui ſæpe fregit Gallicas
Numinis inſtar opes.
Sic dum ſuſtinuit momenti examine juſti
Sedens in Ida Jupiter
Pendula fata Ducum,
Inque vices illam Virtus gravis urget Achillis,
Parique robur pondere
Deprimit Hectoreum
Hanc lancem: Mavors dubias inclinat; & hoſtes
Troja auſpicato milite
Diſſipat attonitos.
At cum cœleſti (neque enim mortalia tela
Nocere poſſunt) vulnere
Saucius ipſe cadit,
Vix credunt Troes, qui tot ſervarit ab enſe
Præſens, opis tandem indigum
Occubuiſſe Deum.
Vix credunt Graii, qui tot per tela, per ignes
Impune ſtrages fecerit,
Occubuiſſe Deum.
Sed quo Muſa rapit? memores ſic uſque malorum
Lugemus, obliti bona
Quæ tulerint ſuperi.
Ignoſcas, quem ſola potes penſare, dolori,
Regina. magnam perdito
Rege quidem patimur
Jacturam; magnum at pariter ſolamen habemus,
Quod regna præſens ſuſtines
Tu miſerata tuos.
Germanam cum Fata olim rapuere MARIAM,
Benigna ſervarunt bono
Numine Semideum:
Nunc ictu ſævo magis eripuere WILHELMUM,
Magis faventi numine
Te ſimilem patriæ
Donant. nil querimur, ſuperos nil poſcimus ultra,
Modo Ipſa vivas; Te brevem
Si pariter rapiant,

Non

Non iterum tantum reparent utcunque volentes
Damnum, daturi patriæ
Nil aliud ſimile.

Horat. Walpole, Coll. Regal. Alumn.

DUM Tibi GLOVERNO raptos devovimus annos,
Heu! GULIELME, rapit Parca maligna Tuos.
GLOVERNI occaſum ſolus reparare WILHELMUS,
Utrumque extinctum ſola ſed ANNA poteſt.
Scilicet ingentis, Tu, Mater, prodiga partus,
Des qualem piget ah! nunc habuiſſe Ducem.
Des qualem lacrymis nunc fruſtra urgemus ademtum:
(Serius aſt Illi fas ſit adire Deos)
Et parienti adſit Juno Lucina, novumque
Det belli fulmen, quale ſibi Ipſa dedit.
WILLHELMUM & Martem referat: ſic Numen in Uno
Utrumque expertus, quam, Lodoice, tremes!

Brook Taylor, Coll. Div.
Johan. Evan. Commenſ.

ANGLIA, jam graviora times quam morte MARIÆ.
Heu! nimium propero atque inopino funere raptos
WILLHELMOS tandem ſentis: ah! perdita ſentis:
Ergo iterum in gemitus, ſuſpiria, & in ſingultus
Poſceris infandos. jacturæ damna recentis,
Credo, tibi elicient haud ficto pectore queſtum
Lugubrem. WILLHELMUS, & uſque MARIA recurſans,
Accendat, duplicetque repoſtum corde dolorem.
Heu! toties miſeranda, & triſti ſquallida luctu,
Adde novos ſolitis planctus; aſſuetaque pridem
Infelix lamenta novis ululatibus auge.
Livida quin vox invidiæ, jam vera fatentis,
Conſonet. hæc ſedenim ingenti perculſa ruina,
Anxia nequicquam defleveris uſque MARIAM:
Sublatum ex oculis quæſiveris & WILLHELMUM:
Inſolabiliter jam luges lumine caſſos.
Et merito: memor ut fractis daret *Hector* ademtus,
Pergama poſſe capi & tolli leviora *Pelaſgis*.

Dii tamen exitium hoc, dirum &, precor, omen in hoſtes
Vertant *Hectoridas*: quibus occiderit WILLHELMUS
Fatalis; Trojæ excidio ut quæſitus *Achilles*.
Semiviris ſua ſint ac talia funera *Celtis*,
Qualia Dardanidis olim; gens iſta bilinguis,
Gens fidei lapſæ, ſervandi ac neſcia juris,
Ancipites ſoliti fraudes innectere pactis,
Laomedonteæ luerint perjuria *Trojæ*.
Eventura loquar: firmabunt omina *Divi*.
Exoriare aliquis ductor NASSOVIUS armis
Impiger, Herculeiſque animis, qui *Martè Britanno*
Rurſum inferre paret *Gallo* lacrymabile bellum;
Ore vomentem ignes, & ſuetum vivere rapto,
Hinc regnum *Auſtratiæque*, & propugnacula *Rheni*,
Helvetici, *Batavi*, *Germani federis* Urbes
Expugnantem pace ſequeſtra, ac diripientem;
Parte aliaque revellentem jam *Norica Clauſtra*;
Alpina & ſpecula pendentem, Dorſo equitantemque
Auſoniæ edomitæ, gladioſque ac vincla minantem
Clavigero; tandem juſta violentior ira
Inſurgens Victor, correptum infiget acutis
Cautibus Apennini; tum celſa rupe Pyrenes
Geryonemque, tricorpor onus telluris Iberæ,
Detrahet, in nodum complexus, & anget inhærens,
Eliſum manibus ſternetque informe cadaver;
Abſtractas referetque, *ejurataſque* rapinas.
Gallo tempus adeſt, cum magno optaverit emtum
Federa non violata; & regificos quoque faſtus
Oderit; ac titulos iterum ejuraverit olim,
Et ſibi quos dederit, quos detuleritve *Clienti*.
Hui! regni ut triplicis diademata caupo ſuperbus
Mercetur ſibi, bellum agitans ſub imagine pacis?
Eia! *Angli* ac *Batavi*, Mavortia pectora! vobis
Gallus ut inſultet! cum *Gallo* junctus *Iberus*!
Ut veſtras cingens horrenda indagine fines
Manducus *Lodoix*, totum ſpe devoret Orbem!
Dedecorum heu! quoties eluſit prodigus emtor!
Subruat ut ſolito veterator callidus aſtu
Poſſinuſque Sinon, non unicus & *Talardus*
Munere te palpans! contemnas illius aurum,
Ne gladios metuas. nec pax, nec federa ſunto.
Faſque odiſſe virum *Gallum* vel dona ferentem.

Hoſti

Hoſti quam ſocio quanto minus ille timendus,
Jam ſiquidem haud neſcis; certe & meminiſſe juvabit.
WILLHELMUS, patriæ non peſſimus augur & auſpex,
Hoc ſatis edocuit. Sed enim *Illi maxima rerum,*
Verborumque fides. alte hinc tibi vulnus adactum
Conficit, o longum dolitura *Britannia*! quantum
Præſidium hinc perdis! quantum & tu, *Belgica*, perdis!
Utraque gens quin aggemit; ultoremque requirens,
WILLHELMUM ingeminat; ſimul ingeminatq; MARIAM.
Viſa nimis felix modo Regnatoribus iſtis:
Viſa nimiſque potens propria hæc ſi dona fuiſſent.
Jam, deſideriis magis icta fidelibus, urget,
Et ſociis lacrymis ad buſtum plangit utrumque.
Hos gemitus procul Orbis, & arduus audiet æther.
Talibus auxiliis, & defenſoribus iſtis
Tempus eget, tumidi contra molimina Galli.
Sed bene habet. *Lodoix* ingentibus excidet auſis.
Maxima pars effecta, viri: timor omnis abeſto.
Mitis WILLHELMI ſapientia, & ardua virtus,
Propoſitique tenax, & inexſuperabile pectus,
Provida viſque animi, tibi partem occurrit in omnem,
Galle vafer, dudum fraudeſque doloſque revicit,
Prævertitque tuos. pavitans, licet ante domandum
Attollas criſtas, premis alto corde dolorem
Ingentem, *Lodoix*, rerumque extrema volutas.
Dediſcis faſtus *grandes*, flatuſque remittis
Grandiloquos: tecum ſimul horret Gallia quanta eſt,
Jam *grandes* confeſſa metus. tolleris in altum,
Unde ruas *grandes* tecum tracture ruinas.
Inſidiæque dolique omnes, cecidere minæque
Terrificæ. ut jam fluctuat æſtu, ac mole fatiſcit
Curarum! *Enceladus* velut *Ætnæ* pondere preſſus!
Quot ſimul hic gentes, quot diſſita regna, quot Urbes,
Involat, irritatque rapax, furialibus auſis,
Dum poſſit non iſte parem, non ferre ſecundum,
Nec niſi quem ſternatque ſolo, calcetque jacentem;
Vimque ſibi injuſtis, omnes ſuper, arrogat armis?
Magnus ut ardelio, prædo, ac graſſator ad *Indos*,
Extremoſque hominum *Lapones*, & *Baltica* regna,
Qua mare, qua tellus, qua ſidus currit utrumque,
Audiat: utque alius, te præter, rexve tyrannus ve
Incedat nullus faſtu NON PLURIBUS IMPAR.

Interea, ut nubem belli, dum detonet, omnem
Suſtineat *Lodoix*; quanto hoc tibi, *Gallia*, ſumtu
Conſtiterit, victo caput imponetur ut Orbi
Borbonium? en! quot cæſa locis, dum bella laceſſis
Longinqua, & gentes quas prœlia nulla fatigant,
Aſſiduo & delectu omnis conſumta juventus
Et pelagi patiens, & caſſidis, atque ligonis?
Scilicet ut *Lodoix* fines proferre ſuperbi
Imperii, lateque hominum, rerumque potiri,
Poſſit & *Heſperia* dominari *utraque* tyrannus;
Quantum devoti tibi ſanguinis hauſit, & olim
Hauſerit? *Eridanus* nuper quot corpora volvi,
Quotque cadavera vidit, quantæ & ſtragis acervos
Mantua; & huic miſera heu! nimium vicina *Cremona*?
Hinc Bellona tuba aſſidue circumſonat aures:
Cingeris hinc illinc armis: ſtat finibus hoſtis,
Et ferro flammiſque premet. Sed fævior intus
Peſtis habet *Gallos*, heu! peſte nocentior omni,
Pauperies infeſta gravat: macieque ſuprema
Conficit eſuries: Queis porrum ſectile, opimæ
Sunt jam Epulæ: queis nigranti detracta camino
Allia, cœparumque globi, raphanuſque ſinapique,
Et quæ fictilibus puteſcit braſſica vilis,
Latrantem ſedat ſtomachum; licet unguine nullo
Fercula luxurient; & deſit nummulus unde
Panis ematur, olus, vini aut ſextarius, ægris,
Jejunis ve alvis: præterque Acheloia, nulla
Pocula jam reſtant: nec enim ſibi vinitor uvam
Colligit; aut unquam meſſem ſibi cultor agelli;
Jamdudum exſanguis *res Fiſci Gallia tota eſt.*
Publica privatos rapiunt æraria cenſus:
Huc, quicquid referunt duris agreſtibus arva;
Congeritur: quicquid præbent commercia lucri;
In ſtipendia militiæ corraditur omne.
Non pudor eſt æris cogendi: ex viſcere plebis
Gaza etiam excoquitur, belloque refunditur omnis;
Prodigit aut luxus fœdus, vel faſtus inanis
Phæacis Domini, cui tellus ſervit & æquor:
Cui nil jam ſatis. interea non ceſſat hirudo
Depaſci exſuccos. alicunde pecunia, quovis
Conficienda modo: creſcit vectigal ubique.
Inſtitor exhauſtus, liveſcit tabe peremtus

Villicus,

Villicus, & foſſor, flavo & lurore colonus.
Lignea queis caliga, & queis putida corpora vilis
Cento tegit, ſquallent mendicis oppida plena:
Horrida queiſque mapalia vento pervia, & imbri:
Stramineoque toro (nec enim illis ſtragula veſtis)
Vel palea recubant. At, quamvis omnibus uſus
Undæ auræque patet, pretioſo pro ſale, ſalſis
Heu! prohibentur aquis. Sal ſaccharo *Americano*
Vænit carius: omnibus ingeritur quoque per vim:
Nec cuivis, etiamſi nolit, fas ſit inemto
Abſtinuiſſe: feras pretium, aut tradere Cataſtæ.
Heu! *Celtis* redeunt nimium *Saturnia regna.*
" Illis non aurum; irritamentumve malorum
" Luxuria incubuit: ſubigunt non arva coloni:
" Nullus aratro dignus honos: non Maſſica Bacchi
" Munera; nullæ illis epulæ nocuere repoſtæ.
" Frondibus, & victu paſcuntur ſimplicis herbæ:
" Pocula ſunt fontes liquidi; atque exercita curſu
" Flumina: nec ſomnos abrumpit cura peculî.
Atqui indignantur miſeri, cum milite, cives;
Hic matres, mœſtæque nurus; hic cara ſororum
Pectora plangentum, puerique parentibus orbi,
Dirum exſecrantur bellum: immaneſque labores,
Atque extrema pati, bello pugnare, fameque:
Hoſtilique acie, ſævaque tyrannide preſſis,
Quid ſupereſt? pacemque orant: Cereremque repoſcunt.
Nequicquam tamen. heu! nec bello finis & armis;
Nec pacis fuerit poſthac ſpes ulla futuræ.
Quantumvis gemere iſta palam, nec farier audent
Quid fortuna ferat populi; at clam talia muſſant:
Deficiunt alimenta: vocat ſors ultima Gallos.
His merſere malis Domini violenta poteſtas;
Regnandique æterna ſitis: fera juſſa tyranni
Ferre jugumque adigunt dociles. hinc illa ruendi
In bellum mens prona viris; nec parcere vitæ
In quaſcunque velit Latrones mittere terras:
Quantumvis animuſque illis, ac vivida bello
Dextra deeſt: deſuntque manus poſcentibus arvis.
Ad nutus immitis heri, per mille pericla,
Hinc, illinc, alio properare, atque ire rapaces,
Res tamen anguſtæ ſtimulant; cunctiſque manere
Triſte domi, quos paupertas immunda peredit.

Inviſis

Inviſis *Laribus* ſtabulans penuria regnat,
Pedorque, & maleſuada fames, ac turpis egeſtas.
Has bellorum animas *Lodoix* ſibi prodigit uni,
Gloriolæque ſuæ inferias itidem immolat umbræ.
Illis fedifragus *Rhenumque*, *Moſamque*, *Padumque*,
Inſubreſque, agitat *Calabros*, cum mœnibus, agros,
Parthenopenque ſuis iterum ſubjungere ſceptris,
His etiam *Europam* totam ſibi deſtinat armis.
En! quibus ingreditur fatis? quo fulminat *Alpes*!
Nequicquam. *Mavortius* ardor, & impetus illum
Deſtituit primus. *Gallorum* corda labaſcunt.
Teutonico his nutant ut colla ac genva ſub ictu!
Ingruit *Eugenius*: trepidantem & fervidus urget
Vilregium: imbelles verterunt terga manipli.
Turpiter hinc raptaſque Urbes atque irruet arces,
Jam repetens; furtis meliorque & fortibus armis.
Te jam, *Vindocini Dux* audax, te quoque fata
Proſpectant paria, atque eadem mox arva tenebis.
Exuviis longum haud lætabere tot furtivis,
Liliger. ut tantam tu ſtragem impune per Orbem
Edideris? venient qui cædem cæde rependant.
Quin te fulmine proterat atque eviſceret ales
Rex avium; plumas repetitum en! jam venit ultor,
Unguibus & ſævis, roſtroque armatus obunco.
Debilior quovis molimine commovet alas
Gallus: at hujus ope imbellis quoque nixus *Iberus*
Corruet una, cum *Leo Belgicus* ac ſimul *Anglus*,
Ulturus tandem ſceleratæ crimina gentis,
Attollatque jubam furiis accenſus, & ira
Terribilis; multo te vulnere ſternet uterque,
Increpitans: *Tu ne hinc ſpoliis indute meorum*
Eripiare mihi? ne deſere federa pacta.
Langueſcis, *Lodoix*. En! quanto turbine rerum
Jactatur tua triſtis & irrequieta ſenectus?
Huic conjuratus jam ſolum militat *Orcus*;
Loiolæque Sodalitium, fax unica belli.
Quid ſupereſt? jam non rerum faſtigia poſcit:
Hæc ſperare gravis prohibet pavor. aſpice! quanta
Cura coquit? toto certandum eſt corpore regni.
Arma fremit, flagratque novo ſe accingere *Marti*:
At mox inceptus fremitu perit ardor inani.

Nil

Nil agis his odiis, *Lodoix*, tua *Numina* tandem
Feſſa jacent. tandem, Gens *Gallo-Hiſpanica*, fallax,
Irrita dum jactas incendia, *fulmina Bruta*;
En! veſtris gravis ut tempeſtas incubat oris!
Jam conſpiratæ coeunt ad ſigna catervæ.
Jamque *Angli*, *Batavique* truces ſocia agmina jungunt.
Claſſibus & claſſes; ſtant caſtra minantia caſtris;
Enſibus atque enſes; compeſcentque ignibus ignes.
Fervet opus. mora nulla. alacres committere pugnam
Ardeſcunt: Gallis totum ſpoliantibus Orbem
Undique reſtiterint: prædonibus æquore toto
Depulſis, *Ubios*, *Triboceſque*, ac *Sequana* rura,
Hannovicas, *Flandraſque Urbes*, atque oppida fœdis
Artibus, atque latrociniis erepta, jubebunt
Reſtitui Dominis; temerataque jura reponent.
Occludent, ſtringentque *Erifichthonis* ora voracis:
Gloriolæ infamis rictum eludentque patentem:
Protinus & veteres ſubigent dimittere prædas.
Has pœnas dabit imperitandi dira libido.
Senſerit attritas longo certamine vires
Gallia: nolle jugum *Batavos*: nec ferre *Britannos*
Borbonidas ultra terræque marique inhiantes.
Itala te quanto diſcrimine diſtinet ora,
Atque exhaurit opes diviſo robore fractas?
Turbidus hinc animus *Lodoicem* diſtrahet. unde
Hui! tandem vacui reparet diſpendia fiſci?
Quo belli nervus Regina pecunia creſcat?
Panama fundit opes, diveſque *Peruvia* mittit
Auriferam Claſſem, quæ cæco errore viarum,
Quando petet *Gades*, aut litus forte *Toloſæ*,
In *Tameſin*, *Gallis* Euro reflante, feratur.
Eia! *Angli* ac *Batavi Navarchæ*. hæc laurea veſtras
Depoſcit dextras. pirata inglorius illam
Meſſem intercipiet? vobis ſeſe *Indica* gaza
Offeret en! ultro. vobis *Hiſpana* cataplus
Orbis opes referens præda objectetur opima.
Graſſetur pelago ut *Francus*! depellite fortes:
Neu gemini incurſans dirimat commercia Mundi;
Deſponſetque ſibi tædis ardentibus audax
Quam procus ardeſcit flagrante cupidine *Tethyn*.
Vobis vincla parat, dementeſque illa ruinas
Claſſis ab *Heſperio* quæ cardine tendit ad ortus

Eoos. eia o date vela: incumbite tranſtris:
Tundite: diripite. hinc magis arcto limite prædo
Frendeat incluſus; regno haud bene tutus avito.
Figite ei has metas, hocque objice ſiſtite greſſus,
Tot repetita ſacris violanti federa pactis;
Quem modo viſa fuit dominantem *Europa* vereri.
Hinc *Orbis* ſperanda quies: hinc omnia pendent
Fata hominum: quibus *iſta* manu arripientibus *arma*,
Juſta dabit *Lodoix*; placidaque in pace relinquet.

Ad ANNAM *Reginam Sereniſſimam.*

OLIM fortis ELIZÆ, nuper ſceptra MARIÆ,
Non minus invicta nobilitanda manu,
ANNA, tua jam torque: & ELIZÆ, deinde MARIÆ
Facta imitando, æques, exſupereſque decus.
WILLHELMUM tu quinetiam exſuperato *ſequendo.*
Siſque illi, ut nato *Thomyris* ante ſuo.
Redde illum, atque illas; ſimiles quoque redde triumphos.
Perge modo; ac *Cyrum* confice ſanguineum.
Sic tu gloria prima ferere Heroidas inter.
Ultrici *Socios* protege *Diva* manu:
Probra redarguito *Magni* muliebribus armis:
Sanguine *Amazonidum* credimus eſſe ſatam.
Tu fortem, ſed ſorte refer meliore, *Camillam*;
ANNAM & *Virgilius* qui canat, alter erit.

Ad GEORGIUM *Daniæ Principem Celſiſſimum ac Potentiſſimum.*

QUOD ſis, eſſe velis: nilque ANNA ſoſpite malis,
Haud virtus tua quo progrediatur, habet.
Tu Regnantum *Ultor*, *Fratriſque haud unius*; olim
Quæ poteras, quis te jam quoque poſſe neget?
Sceptrum ANNA & trabeam regnique inſignia geſtet:
His *Vindex* fruere, hinc præmia digna feras.
Hoc ſuperet titulos, radiatæ & frontis honorem;
ANNÆ ut *Tutamen* ſis, *Decus* illa tibi.

Jo. Laughton, A. M. Coll. Trin.

Φ Η΄ΜΗ μὲν λύζυσα ἐφίππαζε πᾶσαν ἐπ᾽ αἶαν,
Δάκρυα λειβομένη φάτο δ᾽ ἀγγελίην ἀλεγεινήν·
Ἄλκιμον Ἱλερμὸν νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα.
Σμεδαλέ᾽ οἰμώξασα δ᾽ ἐπ᾽ ἀὐρέα πόντον ἔφυγε,
Ἀδομένη λαμπεγῖς ποταμοῖς καὶ βένθεσι πᾶσι,
Καὶ πάσαις ὕλαισι, λιγυφθόγγοις τ᾽ ἀνέμοισι
Ἄλκιμον Ἱλερμὸν λεῖψαν φάος ἠελίοιο.
Ἔνθα μὲν Εὐρώπην διέβη, Λιβύην, Ἀσίην τε·
Οὐδὲ γέα καλέχει, ἀλλ᾽ ἀεργανὸν ἴχεο πένθος,
Οὐεργανὸς ἐν νεφέλῃ χάεσιν σύγκρυψε πρόσωπον.
Ἔκλαυσ᾽ αὖ σάλπιγξ ἐπιθύβε πότνια μήτηρ
Βένθεσι Θαμεσέως ἱρῆ ποταμοῖο μένουσα.
Ταῦτα δὲ ὡς ἐνόησεν, ἄφαρ τρόμος ἔλλαβε γῆα.
Τίλλε κόμην χρυσέην, χλαίνην δ᾽ ἔρριπτε μάλ᾽ ὦκα,
Κώκυσεν δ᾽ ἀλεγειναὶ Θεαὶ Θέτις ἀργυρόπεζα.
Ἔνθα ἁλὸς πᾶσαι Νηρηΐδες ἀμφινέμουσαι
Φοίτων ἀμφὶ Θέτιν συγερὴν μάλα δακρυχέουσαν.
Αἵ γ᾽ ὀλοφυρόμεναι δὲ διέδραμον ἔνθα κ᾽ ἔνθα.
Θεσπεσίῳ κλαυθμῷ δ᾽ ἀνασείετο ἄργυρος ἀχώ.
Ἡ δὲ βαρυσενάχουσα Θέτις γ᾽ ὤρχε γόοιο·
Κλῦτε εὐπλόκαμοι Νηρηΐδες ἑσταὶ ἑταῖραι,
Κλῦτε ὅσον πένθος παρ᾽ ἐμοὶ μεγαλήτορα θυμὸν
Ἴκεο, ποῖα δὲ νῦν ὑμῖν κακὰ κήδε᾽ ἐφῆπται.
Ἱλερμὸς κλυτὸς, Αὐσονικὸς, πάνυ ἰσόθεος φὼς
Οὐκ ἔτι ἡμετέρῃ σὺν σορῇ φάος ἠελίοιο.
Ὤλεσε τὸν Ἀγλῶν ἐλπὶς, μέγας ὤλετ᾽ Ἱλερμός.
Δημοβόρος πότμος, καὶ ἀτάσθαλος, ὀβριμόεργος,
Αἱμάλοψ ἄπλητος ποίους ἤπτετο θελάμβους;
Ὤιχετ᾽ ἔχων λαμπρὸν κ᾽ εἰρηνικὸν ὄμμα Μαείας.
Ἥρπασε κὴ Ἥρωα Γλόβερνον πλεθάοντα.
Ἀλλ᾽ ἀκόρητος ἔτι σθαερὰς ἅπτὶ χεῖρας ἴαλλεν,
Ἥρπασεν Ἱλερμὸν πάντων βασιλεύταθον ἄλλων,
Ἄλκιμον Ἱλερμόν περ, ὃς ὀτρηρῶν ἄγεν Ἀγλῶς
Ἀγλῶς ἰσοθέης ἀῒ εἰδότας ἴφι μάχεσθαι.
Εὐχωλὴ μὲν Ἱλερμὸς ἔην θείοισι Βρεταννοῖς,
Ἀνδράσιν ἠδὲ γυναιξὶ κὴ ἠιθέοισιν ὄνειαρ·
Ὃς καὶ ζωὸς ἐὼν φωτεινὸν κῦδος ἔλαμψε.

Νῦν

Νῶϊ ᾧ μὲν Ἥρω ἴφθιμον κῆρ γαῖα καλύπτει.
Ταῦτ᾽ εἰπὼν ἔκλαιε λυγρῶς, καὶ ἐκόπτετο κόλπους·
Νύμφαι δύσπνοι δ᾽ ἀκέων ἐγένοντο σιωπῇ
Δάκρυσι φυρόμεναι τὰ περὶ καλὰ κύκλα παρειῶν.

J. Hughes, Coll. Jes. Alumn.

Κ Ἀ᾽θανε, κάθανεν Ἱλερμοῖο μένος μέγα· δεινὸν,
Δεινὸν ἔπος· Βελόνων ἄχος ἄασεν εἴλετο γαῖαν·
Χαμαὶ λυγρὰ βοᾷ, κλαυθμοῖσί τ᾽ ἀμείβεται Ἶσις.
Οὕτω πω Μοίρη ἐδόκει· ἀλλ᾽ οὐχ ἅλις ἦεν
Οὐχ᾽ ἅλις, ὅτι καλιὴ δυσφήμῳ χερὶ Μαείαν
Ἐξέταμες; μαλακιὴ τ᾽ αὖθις Γλυκερηὶς ἤβην
Παιδὸς ἀπέρρηξας; τρίταλον δ᾽ ἔπι πλῆγμα λέλειπται;
Καὶ πάλιν ἐς θάνατον Βασιλήϊον ἄπλετος ἕρπεις;
Εἴγε Θεοὶ ψυχαῖσι βροτῶν κεχαρήαλε θυμῷ,
Καισάρεόν τε δόμον σβέσαι ὑπερωμάον ἐστὶν,
Ἄγγελος ἐς δήμους τί μὴ ἔρχεται Ἀνδρειφόντης;
Τῶν ἑκατὸν δοίημι ἑνός γ᾽ ὑπὲρ Ἱλερμοῖο.
Ταῦτ᾽ ἐγὼ ἀχθόμενος φρεὶ Σῇ, πόλυ φέρτατ᾽ Ἀνάκτων,
Ταῦτ᾽ εἶπον, τοῖσίν θ᾽ ἅμα μυεί᾽ ἔμελλον ἀείδειν,
Πολλὰ γράφων, πολλὰ σπένων, πολλὰ δάκρυα λείβων.
Πολλάκι γάρ μοι θυμὸς ὄρινεν ἐν στήθεσι,
Καὶ τίς νῦν Ἄγλοις, τίς Βελγοῖς ἡγεμονεύσῃ,
Μερμήριζον· ἐμοὶ δ᾽ ἄφαρ ἄατ᾽ ἐθίγανε Φοῖβος,
Αἶψά τ᾽ ἔφη· Ποιεῖς τί τυ, νήπιος; ἠπεροπευτὰ,
Τί κλαίεις; μὰ ἐμὸν Παλέρ᾽ οὐκ ἐπικαίρια βάζεις.
Οὐχὶ βλέπεις ὡς πάντα καλῶς, εὐήμερα πάντα,
Ὀρθῷ πάντα σφυρῷ πάλιν ἵσαται, ὥστε κεν Αὐτὸς
Ἐν ζωοῖς Αὐτὸς καὶν νῦν Ἱλερμὸς ἔπῃσι,
Βελτίω οὐκ εἴη· πῶς δ᾽ ὦ μάκαρ ἡ Βασιλεία,
Ἧς γε πόλεις Ἄννη, Ἄννη φίλη ἀμφιβέβηκεν,
Ἧς πολέμους διέπει ἣ Ἀρῃφίλου πόσις Ἄννης;
Ἄδειν εἰ δ᾽ ἐθέλεις, ἔξεις πολὺ ἄξι᾽ ἀοιδῆς,
Ἤματι τῷ (μὰ ἐμὴν κίθαριν τόδε ἔσκαρ ἦμαρ)
Ἄννης ὅτε Πόσις Γαλατῶν συνετείψατο μῆνιν,
Ἄννα ἑοῖς σοφότερόν τ᾽ Ἄγλοισιν ἀέξατο κῦδος.
Οὕτω Φοῖβος ἔφη· καὶ οἶδεν ἀληθέα Φοῖβος.

Bart. Cox, Coll. S. Pet. Alumn.

DUM tellus ruitura in te, GULIELME, recumbit,
Cum magno & junctum pondus Atlante geris,
Dum pietas Lodoici & regnûm provida cura,
Ac, qualem Pœni non habuere, fides,
Virtuti ſolitæ meſſis fecunda reſurgunt,
Et capite innumero largior Hydra fremit;
Heu fugis ad patrias, ſteteras queis proximus, arces,
Cognatoſque petis, vix minor ante, Deos.
Nec gladio maturus honos, nec vota tuorum,
Nec tuus in Britonas plurimus obſtat amor.
Ah mecum quoties volvi feſtinus, ab illis
Quæ dederas Gallis funera, quanta dares!
Jam manet Auriacum, dixi, Victoria; currus
Tardanteſque vocat Gloria certa rotas.
Quam prendit turrim? turmas ubi ducit, & acri
Non dudum viſos Marte ſalutat agros?
Pulvere quo primus tegitur? quam notus in ipſo
Pulvere, quam ſoli Par ſimiliſque ſibi?
Jam venit illa dies, qua tot lugubria, Galle,
Plus media mundi parte redemta velis,
Verum o! non reducem bello, tardumque tropæis,
Per denſas populis ire videbo vias.
Fata obſtant: ſolitique loco tua Terra triumphi
Jam parat infauſti dona ſuprema rogi.
Quid Muſæ valeant, quid nunc Heliconis in umbra
Vates Phœbæam pallidus orat opem?
Is dolor Humana non eſt medicabilis arte,
Cui ſola auxilium par fuit ANNA dare.

Gualterus Plummer, Coll. Pet. Commenſ.

EN, labentem Humeris toties qui ſuſtulit Orbem,
Quem nunc horreſcas, en, *Lodoice*, Cinis:
Et Manus illa eadem jam nunc inimica Tyrannis,
Novit & ex Tumulo bella ciere ſuo.
Hæc mors Heroum: ſic *Julius* ibat ad umbras,
Exequias diræ dum cecinere Tubæ:
Tali turba fremens ornabat Funera Pompa,
Senſit & exanimum Terra agitata Ducem.
I nunc, & *Bruto* ſimilis nova concipe Bella;
Sanguineam quatiet *Cæſaris* Umbra manum:

Ille tibi occurret, Latiis occurret in Arvis,
Sumet & *Eugenii*, Vindicis, ora sui:
Tunc, quos ipse facis, si possis, protege Reges;
Sceptraque dum Pueris das nova, perde tua.

Tho. Porter, Coll. Trin. Commens.

NONDUM Deorum Divus in ordines
Cœlo receptus dicitur Hercules,
Donec deessent jam laborum
Emeritæ nova monstra clavæ.
Sic & quietem Pacis amabilem
Partitús orbi Octavius, integra
Potitur in longam senectam,
Nec dubiam moriens relinquit.
At luctuosæ fata Britanniæ
Heroa nobis in medio invident
Labore; terris & fugata
Pax simul abripuit WILHELMUM.
Lugete raptum militiæ ducem,
Quotcunque læsos Gallia Principes
Perjura contra federatos
Vindicibus sociavit armis.
Lugete quem vox non revocabilis,
Fidesque pacti tempus in ultimum
Clarabit, armorumque Virtus,
Et trepidis inimica semper
Manus tyrannis. O decus! o patrum
Illustris ordo! maxima & ultima
Spes o WILHELME abrepta gentis
Auriacæ! Domus o sepulta!
At at furores ne Lodoix novos
Assume; fidens rebus, Iberia
Quod ad remotas usque Gades
Emta suis tibi servit Indis.
Quæ sceptra gestent femineæ manus,
Quid posset olim, sensit Iberica
Classis, Britannûm vis ELIZÆ
Auspiciis, tua quid MARIÆ.
Nec denegata est ANNA doloribus
Nostris, WILHELMI quæ subeat vices.

Ut

Ut augurari Muſa geſtit
Femineos iterum triumphos!
Sic quanquam Achillem fleret Achaica
Pubes ademtum: mox tamen Ilion
In pulverem eſt verſum, potenti
Conſilio domitum Minervæ.

J. Audley, A. B. Coll. Pet.

USQUE adeone nihil Lodoicus fœdera curat?
Claſſem aptat, tentatque aditus, inopinaque bella,
Secreta Angliaco meditatus funera Regi.
Dixit at hæc, greſſus glomerans Libitina ſuperbos,
Mecum erit iſte labor, ſuperati fama WILHELMI.
Armorum ſtrepitus inter, bella, aſpera bella,
Te tutelari ſervavit numine Quercus.
Illius quia ſubſidio fuit ante levatus
CAROLUS, idcirco noſtras evadere demens
Speraſti Te poſſe manus, & ludere fata?
Ammonis prolem devictam numine noſtro,
Geryonem triplicem mea vis, mea ſceptra coercent,
Nec tua Te virtus, nec Te tria regna, WILHELME,
Defendent; ſtygias jurat Libitina per undas,
Te neque magna Jovis quercus, neque Jupiter ipſe
Servabit, ſiquid Furiæ & mea dextera poſſunt:
Et poſſunt; teſtor manes cinereſque recentes
Aſcanii, & multo depaſtam verme MARIAM.
Aſpice præſidio lætentur ut omnia Regis!
Quos annos ſibi, quæ felicia tempora Belgæ,
Et nimium læti ſibi promiſere Britanni?
Quin rediviva diu non ſtabunt Pergama, ni me
Deficiant vires; ſtirpem & genus omne futurum
Delebo: nunquam ſic Teucris addita Juno.
Talia jactabat criſpans haſtile lacerto.
Ibat ovans, magnoſque ſibi ſpondebat honores
Accelerans, Regi cum jam Libitina propinquam
Se tulerat: ſtetit illa tremens, metuenſque WILHELMI.
Tum voces & verba minus violenta loquuta:
Pergam? militibus preſſit dum litora Boini,
Intonuitque armis, atque horridus ære refulſit,
Collectis fluvii numen caput extulit undis,
Atque alium Xerxem fluctus turbare quietos

Cre-

Credidit, & ſanctos regni infeſtare receſſus.
Clamantem audivi, Britones ſuperate: nec illa
Vox hominem ſonuit; Martem veniſſe putares,
Sic animum, ſic ille haſtam jaculumque ferebat.
Ipſa mihi metui, curſu trepidante refugi.
Nil mihi tela nocent, timui tamen omnia demens,
Cum terram tanta cumulatam clade viderem,
Palanteſque Heroum animas, umbraſque volantes.
Hunc ego ſuſtineam? nullis tractabilis armis
Sævit atrox, & clara ſedet ſuper arma ſuorum
Certa ſalus, atque hoſtis inevitabile fatum.
Talia flammato ſecum ſub corde volutans
Indomitum morbis Heroa furentibus urget
Diſcruciatque: toro graviter defixus anhelat
Tarda morborum ſerie, caſuque laborat,
Inviſamque trahit lucem: Proſerpina crinem
Abſtulerat nondum capiti, nec cana ſenectus.
At Regina Ducis luctus miſerata labantis,
Difficileſque aditus mortis, delabitur æthra,
Abſectaque coma puris animam dicat aſtris.
Jamque polum repetens heredem nomine clamat;
ANNA ſoror, ſoror ANNA, tibi cape debita regna,
Et gentem gravidam imperiis, belloque frementem.
Jam conjux pulchra faciet Te prole parentem.
ANNA, ſatis cœlo & ſuperis fecunda fuiſti;
Victurum viduis natum des, optima, terris,
Quique torum MARIÆ ſterilem, & Tua damna rependat.

Edm. Stubbe, Coll. Trin. Alumn.

Ad Reginam.

ANGLIA, ſicut oves Fido Cuſtode remoto,
Nuda patet *Francis* præda voranda *Lupis*;
Tu niſi cara parens, Pallas velut altera, lapſum
Orbem Conſiliis ſuavibus, ANNA, leves.
Surge, & *Amazonios* animos accinge: *Virago*
Auſpice Regina, pugnat & *Ipſa Venus*.
Magnanimi traherent dum Cæſaris ultima fila
Parcæ, nata nova eſt Stella repente polo.
Vati credideris? ad cœlum ſcilicet *Illum*,
Te ad Regimen *certis* diriget Illa viis.

Johan. Boldero, A. M. Coll. Chriſt. Soc.

על מות חמלך ביאליאלמוס שיר קינה

הילילי אנגלה בכל־ מארך
כי אהה נבל מלכך
אשר בארץ גרול שמו
אשר אמרת אחיה בו :
כל־ בנות הארץ בכינה
חגורנה שקים וספורנה
כי הלבישכנ לבושי שנים
ויערכנ את עדנים :

עשו לכנ מספר תמרורים
כל ישבי ארץ כל לאמים
כבתולה על איש שחרותה
ואם רכה לבב על יחידה :
כי גלה מישראלנו
כבוד ותפל תפארתנו :
כמספר אשר להרדרמן
בבקעות אשר למגרון
כן יגרל המספר ביניכם
כי מת יאשיהו מלכנם :

S. Townsend A. M. Coll. *Jes.*

על ההרים אשא בכי :
על מות מלך גרול ורם :
שמו נורע בכל קצוי :
גבורתו וחכמתו ;
איש מלחמות גם איש שלום :
איש מצליח בעצותיו :
אשר נפשו בכפו שם :
השם אויביו תחת רגליו :
הוא לא שקט ונם לא נח :
להתקשר עם אוהביו :
כל מחסהו באלהים שם :
כי נו בטח וכו סמך :

בקול סערת וסופה :
לכל מלבי איאורופה :
עולם מסופו עד ראשו :
נתנה בו מאל עושו :
ודובר אמת בלבבו :
ויראת שוי בקרבו :
להציל עמו מצריו :
להושיע את מבצריו :
בלכתו שכבו ובקומו :
לרדוש השוב לכל עמו :
ובכל הוא היה אתו :
בכל ימיו עד בא עתו :

אשר נקרא להתענג :
עם חסידי המלכים :
נפשו בטוב תלין לשד :
יבא שלום יאמרו לו :
והמלכה במלכותה :
לראות בנים ובני בנים :
והיא תגל בכל עמה :
יציצו יפרחו בטוב :

בחצר גנת הפיתן :
וזו בראש חוק נתן :
והלך לפניו צדקו :
ויתערן בפי חשקו :
תאריך ימים בעטרה :
לשם גדול ולתפארה :
והמה ישישו עמה :
ועל טוב יזכר שמה :

P. Allix Coll. *Regin.* Alumnus.

ديكدلم بر استي وبكمك
بزرك بجنك وصهب هيبت
بعد لر لى بيما شده لست نداذاء
باصل ومنوجب حق سلطانه
امل بجون هلناء نزده ماذن
ستايش لورنا نخوش ليد

Carmen Turcicum.

اشبو كيم بيزي خلص ايلدي
كنبو هم اقبا خلاصي بولدي
مجازي دكل الا ابدي
انوك حياتي وارمس موت ايله
ومريم انوك خاتوني بيله :
حنا تركك اولدوز بو حياتده
شاهلق انمك ليجون مملكتده
كيم تاجي طوتوب تاجومز بولدوز
وتختي قلبلرومزده بولدوز :
كه سليمانوك تختين يكرك دوز

Paucæ hîc Literæ *Persis* propriæ(ob defectum Typorum) *Arabicè* pinguntur.

C. Wright S. T. P. *Trin. Coll.* aliquando Soc.

זמרה כרכות אל המלכה

עורי בי מלכה לנו עורתה
קומי ושאי לנו ישועתה :
עורי גבירה ובהדרך
צלחי ושני שבדי איבך :
קומי כי מת ושטון ושמחה
אנגליא אבר ונשבר קרנה :

אבל נשליפה מכואבותנו
ממנו טובה כי מלכה לנו
וכי המלך בעפר עצמו
על השמים נא מולך נפשו :

Arthur Ashley Sykes C. C. C.

Carmen Arabicum.

من حصل سالم لنا
عليه قد سالم كان
لا هو له في الحياتي
لكن صار في الوفاتي
سلك صراط الجنتي
حافظ القضيب الدنتي
الجنة اسمها فتاتي
بانعم سلوياتي
ان العلامة عطين
الاه ان حن علين
في الظهر كوكب راين
ضو = كشمس في الافلاس
لو في السما كملاس
كان هنا في البيعتها
اية عظيم مجدها

Carmen Persicum.

هفاست كه بادشاه ما غوليم
بزدلن بهلوي ستاليم
بهلوان را خر است ستودن
خصوصا ذا عزت ندودن
لكن چون اينرا نميدانم
بلسدلن اجم من بكنم
بزرك بزرگان اس اسرا
لقبها اند شايسته اورا
سه مملكتها اس كرده است
وهفت بلادها نكله دشت است
نيكلم

ERRATA.

L 4. lin. 2. lege *profudit.* O 4. l. 16. l. *horreat.* Q 4. l. 21. l. *inauſpicatum.* R 2. l. 21. l. *miniſtras.* T 4. l. ult. l. *negaras.* V 1. l. 21. l. *totis.* X 1. l. 26. l. *incubuit.* Y 3. l. 16. l. *caſorum.* Aa 3. l. 11. l. *nunquamne.*

MVSEVM
BRITAN
NICVM